RVDIMENTA AD SCIENDVM ET

ſeruandum neceſſaria Clericis, & Presbyteris curam animarum habentibus, vel non habentibus, & aliis fidelibus.

HIC SVNT A SACRIS CANO nibus, & Doctoribus collecta, & in vnum breuiter redacta,

PER D. DOMINICVM DE DOMINICIS *Venetum ſacræ Theologiæ Magiſtrum & Epiſcopum Brixienſem.*

Quæ inſtructionem & vtilitatem non paruam exhibebunt.

Cum Tabula totius operis.

Bibl. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTH. COLLEG. ROMANI IHS



VENETIIS,
Ad candentis Salamandræ inſignæ.
M D LXVI.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Tabula totius operis.

Capitula primę partis.

Procemium, Complures Sacerdotes.	folio 4
Duodecim articuli fidei.	fol. 5
Septem petitiones in Oratione Dominica.	fol. 6
Decem præcepta legis.	fol. 6
Septem uirtutes Cardinales Theolog.	fol. 7
Septem peccata mortalia.	fol. 7
Septem Sacramenta Eccleſiæ.	fol. 7
Septem dona Spiritusſancti.	fol. 8
Sex peccata in ſpiritumſanctum.	fol. 8
Septem opera miſericordiæ corporalia.	fol. 8
Septem opera miſericordiæ ſpiritualia.	fol. 8

Capitula ſecundæ partis.

Septem ordines Eccleſiaſtici.	fol. 9
De prima Tonſura.	fol. 9
Officium Hoſtiarij.	fol. 9
Officium Lectoris.	fol. 9
Officium Exorciſtæ.	fol. 10
Officium Accoliti.	fol. 10
Officium Subdiaconi.	fol. 10
Officium Diaconi.	fol. 11
Officium Præsbyteri.	fol. 11
Officium Epiſcopi.	fol. 12

Impedimenta ſuſceptionis prædictorum ordinum & executionis officiorum, quando ſine &c. fol.12

Capitula tertiæ partis.

De Præsbyteris ſimplicibus. fol.15
De loco in quo eſt celebranda Miſſa. fol.16
De vaſis. fol.eodem
De tempore & ritu celebrationis Miſſę. fol.16
De celebrañ. & qualiter debeat eſſe diſpoſitus. fol.17
De Pollutione. fol.18
De materia Sacramenti. fol.19
De vino. fol.20
De aqua. fol.21
De defectibus, & ſcandalis occurrentibus circa materiam. fol.21
De forma Conſecration. fol.23
De intentione miniſtri.i.celebran. fol.24

Capitula quartæ partis.

De Præsbyteris Curatis. fol.25
Conditiones Confeſsionis, fol.26
Caſus reſeruati Papæ. fol.27
Caſus excommunicationum Epiſcopis reſeruatarum, ſunt, xxix. fol.28

Aguſtinus de Dignitate Sacerdotum. fol.31
Speculus Sacerdotum. Viri venera-
biles,&c. fol.33

Itinerarium Prælatorum, Aña. In viam Pacis.
Benedictus Dominus Deus Iſrael. fol.34

S. Paulus S. Petrus



Qui mundum ſua prædicatione
illuminauerunt.

ANNIBAL Griſogonus Iu. vtr. Doct. Canonicus Iuſtinopolitanus,Reuerendiſs. in Chriſto patris & D.D.Franciſci miſeratióe diuina ſanctæ Romanæ Eccleſię tituli ſanctæ praxedis præsbyteri Cardinalis,Cornelij nuncupati,Epiſcopatus Brixień. perpetui adminiſtratoris Ducis Marchionis,& Comitis,Vicarius, & locumtenens generalis, Vniuerſis & ſingulis Clericis, tam Ciuitatis, quàm dioceſis Brixień.nobis in Chriſto dilectis, ſalutem & pacem. Iniunctæ nobis ſolicitudinis onus depoſcit, & uinculum charitatis, quo uos omnes complectimur,nos impellit,ut ad ea, quæ in diuini nominis gloriam cedunt, & ad eruditionem,ac fœlicem directionem in iter proſperũ gregis nobis crediti,cuius uos,tanquã qui lucem aliis præbere debetis, potiſsima pars eſſe cenſemini, pertinere noſcuntur ſolicitis ſtudiis quãtum cum Deo poſſumus intendamus.Cum igitur bonæ memoriæ D. Dominicus de Dominicis Eps Brixień.ouium ſibi commiſſarum ſaluti more pij paſtoris,inuigilans nõnulla rudimenta ad inſtructionem fidelium Clericorum in unum collegerit,in quibus,quæ firmiter credenda ſunt,& neceſſario ſeruanda ab omnibus fidelibus,alia,quæ ſcienda ſunt Clericis ordinum ſingulorum,nonnulla,neceſſaria Sacerdotibus, curam non habẽ-

tibus animarum. reliqua ad utilitatem Sacerdotum curatorum edita continentur, quæ licet in loco publico haberentur, uetuſtate tamen, & tẽporum iniuria adeo neglecta & pene obliterata uidebantur, ut nulli iam prorſus uſui eſſe cõſpicerentur. Nos, ne tanti uiri labores, omnino perirent, Rudimenta prædicta, iam Antiquata, non ſine labore tranſcribi, & deinde ad ueſtram utilitatem, quam enixius affectamus, imprimi curauimus. In quorum fidem præſentes fieri, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi mandauimus. Brixiæ die xxvj. menſis Februarij. M D X L.

Hieronymus de Pugnatoribus Epiſcopalis curiæ Brixieñ. Cancellarius mandato.

INCIPIVNT RVDIMENTA CLERICORVM, SIVE

Inſtructio de iis, quæ neceſſaria ſunt fidelibus Clericis, ac Presbyteris ad ſciendum.

COMPILATA ET EDITA

PER REVERENDISS. IN CHRISTO *Patrem et dominum, dominum Dominicum de Dominicis Venetum ſacræ Theologiæ magiſtrum & Epiſcopum Brixien.*

CVM plures Sacerdotes, præſertim quibus animarũ cura commiſſa eſt, defectuoſos, & ignaros compererim earum rerum, quarum ſcientiam habere deberẽt, conſtitui ea deſcribere, quę clericis ſcienda eſſe cenſui, colligens ea a Canonibus ſacris & doctoribus autẽticis, & pręſertim a Beatiſs. Thoma noſtro de Aquino, & ea diſtinguere, aut, ſi prolixa ſunt, libros & loca notare, in quibus pertractãt, quę, ut libere & clare a pręsbyteris Parrochialibus nobis in Eccleſia uel Dioceſi Brixieñ. ſubiectis, ac ẽt ab aliis conſpici poſsint, ordinate in hac tabula redegi, Commonens oẽs poſteros noſtræ Eccleſiæ, ac per viſcera miſericordię Chriſti exorãs, ut ea in loco publico ſeruare curent, quatenus & ſi ipſis ſcien-

tibus hæc prima Rudimenta neceſſaria non ſint, utpote quia communia & quaſi uulgaria, ignaris tamen,& ſcire cupientibus ſemper expoſita inue niantur,quãto enim magis uulgaria & cõia ſunt, tanto eorum ſcientia eſt magis neceſſaria , & ipſorum ignorantia magis deteſtãda, qui ergo hæc neſciunt,addiſcere curent,ignorantia nanq; ſi in laicis intollerabilis uidetur eſſe, quanto magis in his qui curam animarum habent,nec excuſationis,nec uenie locum habet.Habẽdum nãq; pręoculis eſt , quod Dominus in Euangelio dixit , Si cecus ceco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt,ſed inſuper ꝙ non tantum neſcire Clericos damnabiles reddit,quantum addiſcere nolle, aut non curare,unde Prophetam Dominus dicit.Tu ſcientiam repuliſti,& ego repellam te, ne tu mihi ſacerdotio fungaris.Studeant ergo Clerici ſcire ſaltem hæc minima,quę neceſſaria ſunt,metuẽtes id , quod Apoſtolus ſcribit . Si quis ignorat, ignorabitur,nam labia ſacerdotis,iuxta prophetam , cuſtodire debent ſcientiam , & alij ex ore eius legem requirere.

PRimo autem ponuntur ea,quæ omnibus fidelibus neceſſaria ſunt ad ſciendum,ut pręsbyteri curam animarũ gerentes de illis inſtruant ignaros,& demonſtrent quomodo ad illa ſcienda obligati ſunt.Secundo ponuntur ea,quæ ultra priora neceſſaria ſunt ad ſciendum Clericis ſin-

gulorum ordinum. Tertio ea, quæ neceſſaria ſunt præsbyteris ſimplicibus, ideſt nõ habẽtibus animarum curam. Quarto & ultimo, ea, quę neceſſaria aut etiam utilia præsbyteris curam animarum habentibus. De aliis autem, qui ſunt cum nobis equales aut ſuperiores, noſtrum nõ eſt ad prę́ſens loqui.

Duodecim Articuli fidei.

1 *Petrus* CRedo in deũ patrẽ omnipotẽtem creatorem cœli & terrę.

2 *Andreas* Et in Ieſum Chriſtum filium eius unicum Dominum noſtrum.

3 *Iacobus maior* Qui cõceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria uirgine.

4 *Ioannes* Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

5 *Philippus* Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit á mortuis.

6 *Bartholomeus* Aſcendit ad cęlos, ſedet ad dexterã Dei patris omnipotentis.

7 *Thomas* Inde uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos.

8 *Matheus* Credo in ſpiritum ſanctum.

9 *Iacobus minor* Sanctam Eccleſiam Catholicã ſanctorum communionem.

10 *Simon* Remiſsionem peccatorum.

11 *Thadeus* Carnis reſurrectionem.

12 *Mathias* Vitam eternam. Amen.

Fides, quia eſt fundamentum omnium aliorum, ut dicit Apoſto. ad Hebreos. xj. ideo ab ipſa incipiendo dicimus, ꝙ neceſſarium eſt omnibus fidelibus uſum rationis habentibus ſcire, & explicite credere articulos fidei, qui continẽtur in ſimbolo Apoſtolorũ ſupraſcripto, de conſe. diſt. 4. Baptizandos. & c. uos ante omnia. Idem oſtendit Beatus. Tho. ij. ij. q. ij. arti. v. & vij. & viij.

SImbolum aũt Sanctorũ. cccxviij. Patrũ in Niceno cõcilio congregatorũ, ꝙ dicitur. Credo magnũ, cũ additionibus in ſequẽtibus factis utile eſt ſcire. in Decret. di. xv. Canones, & B. Hieronymũ ad Damaſum Papam, de expoſitione catholice fidei. Eſt ſimiliter ſimbolum Athanaſij. Quicũq; uult ſaluus eſſe &c. ſecundum quatuor Conſiliorum principalium dogmata, quæ fuerũt ut quatuor Euangelia ordinata ad contradicendum hereſibus, & declarandum fidẽ. diſ. xv. ſicut. Et presbyteri tenentur diſtinctius & magis explicite ſcire, quã laici, & quãto ſuperiores, tanto magis diſtincte, & tanto plura ſcire tenentur, ut diſt. xxiij. Qui Epiſcopus additiones aũt & declarationes ad ſimbolum, quæ pertinent ad fidem, habentur, extra de ſumma trinitate & fide catholica. Item eodem ti. lib. vi. & in Cle. item B. Hieronymus in expoſitione fidei. Itẽ pro magis intelligentibus & in tractatu paruo Beati Thome de ſimbolo.

Septem petitiones in Oratione Dominica.

1 PAter noſter, qui es in cœlis, ſantificetur nomen tuum.
2 Adueniat regnum tuum.
3 Fiat uoluntas tua ſicut in cęlo & in terra.
4 Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie.
5 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
6 Et ne nos inducas in tentationem.
7 Sed libera nos amalo. Amen.

Orationem ſupraſcriptam quilibet tenetur ſcire,& patrini, qui pueros,de ſacro fonte leuãt, iſtam una cum ſimbolo pueros obligantur docere,ut de conſecr.diſt.iiij.Vos ante oĩa.Declaratio autẽ iſtarum petitionum habetur in B.Tho.ij.ij.q.lxxxiij.artic.viij.& in alio Tractatu de oratione Dominica.

Decem præcepta legis.

1 Non adorabis Deos alienos.
2 Non aſſumes nomen Dei tui in uanum.
3 Memento ut diem ſabbati ſanctifices.
4 Honora patrem tuum & matrem tuam.
5 Non occides.
6 Non mechaberis.
7 Non furtum facies.

8 Non dices falſum teſtimonium.
9 Non concupiſces rem proximi tui.
10 Non concupiſces uxorem proximi tui.

HAec præcepta neceſſaria ſunt omnibus ad ſciendum, nam expoſita fuerunt p Moyſen omni populo. Exodi. xx. & eorum ignorantia nõ excuſet. S. Tho. xxij. q. lxxvj. Not. circa tertium præceptũ quod obſeruare in Dei reuerentiam unam diem in hebdomada morale eſt, ſed obſeruare potius ſabbatum, quam aliam diẽ Cerimoniale erat in ueteri teſtamento. Ideo in nouo mutatum eſt ad diem Dominicã. S. Tho. xxij. q. cxxij. arti. iiij. Et hoc propter excelentes Chriſti actus in illa die, uidelicet. Incarnationis, Natiuitatis, Reſurrectionis, miſsionis ſpiritusſancti & beneficium creationis mundi. Item nota, quod multa sũt alia moralia ſparſim poſita in lege, quę non fuerunt ſcripta in tabulis decem præceptorum, ſed reducuntur ad illa decem præcepta, & hæc patent in Deuteronomio. Multa etiam alia in nouo teſtamento adiecta ſunt, quæ etiam reducuntur ad iſta, ſicut prohibitio ſuperſtitioſarũ obſeruationũ reducit ad primũ, ꝓhibitio periurij ad ſecundũ, obſeruatio omniũ feſtorũ ad tertiũ, honor ꝑlatorũ ad quartũ, & ſic de aliis, quæ omnia Sacerdos curã gerens debet conari, ut noſcat, & quia diffuſum eſſet, hic ea deſcribere, io uideat in ſancto. Tho. prima. ij. q. 100. ubi reme-

morant p ordinē,& ad illa decē prima reducuntur. Itē de hoc ab eodē.3.ſententiarum.diſt.37.

Septem uirtutes.

Cardinales	Theologicę.
1 Iuſtitia	5 Fides
2 Prudentia	6 Spes
3 Fortitudo	7 Charitas
4 Temperantia	

HAs omnes tam habere, quam ſcire diſtinguere, neceſſarium eſt de quibus a Magiſtro & Doctoribus in tertio ſententiarum.diſt.13.& ſequētibus, determinatut â beato Tho.diffuſe in ij.ſecūdę,& in quæſtionibus diſputatis,& in ſumma de uirtutibus.

Septem peccata mortalia.

1 Superbia	5 Auaritia
2 Ira	6 Gula
3 Inuidia	7 Luxuria
4 Accidia	

HAec ſunt ſeptē capitalia uitia. ſan.Tho.prima ſecundę.q.lxxij.quę magis neceſſariū eſt non habere, quā ſcire diſtinguere, ſed tamen dę neceſsitate ſalutis oportet ut homo de quolibet actu ſuo ſciat utrum ſit peccatum mortale uel nō aut ſaltem neſciens, cum illud occurerit, interroget,& informetur de illo.antequā uelit facere, alioquin,quantum eſt de ſe peccaret faciens aliquid, quod non eſſet peccatum dubitans tamen

taliter quantũ in ſe eſt.S.Tho.ſup.iiij.ſentẽtiaꝝ, & propterea Sacerdos curam animarum habens, debet ſtudere, ut noſcat & diſcernat peccata, alioquin cõuenientem ſatiſfactionẽ neſciret imponere, & quia de qualibet re, utrum ſit peccatũ uel non, ſeu etiam ad quod genus peccati reducatur, hominis memoria tenere non ſufficit, ideo ſatis erit ſi locum ſciat, in quo poſsit de his requirere, & informari. De his autem & de ſpeciebus uitiorum, & de cauſis ac remediis habẽt a S.Thõ. in prima & ſecunda ſecunde. Item in q. de malo. Item in ſumma de uitiis diffuſe.

Septem Sacramenta Eccleſie.

1 Baptiſmus.
2 Confirmatio, quæ dicitur Chriſma.
3 Euchariſtia, hoc eſt corpus & ſanguis xpi.
4 Penitentia, cuius tres ſunt partes, contritio, confeſsio, & ſatisfactio.
5 Ordo Sacer.
6 Extrema vnctio.
7 Matrimonium.

HAec ſacramenta data ſunt in remediũ peccatorum & in augmentũ uirtutum & gratię, & a fidelibus debent ſciri, alias neſcirent ipſi requirere, ea quæ neceſſaria ad tempus requiri debent pro ſe uel pro aliis ut baptiſmus, quæ aũt utilia ſunt, neceſſarium eſt nõ contemni, ſi aũt ex igno-

tantia omitterentur quodāmodo contennerētur, ergo oportet illa cognoſcere. Præsbiteris autem ultra hoc neceſſarium eſt ſcire ea,quę ad diſpenſationem eorū pertinēt, de quibus infra dicetur.

Septem dona Spiritusſanĉti.

1 Sapientia 5 Scientia.
2 Intelleĉtus. 6 Pietas.
3 Conſilium. 7 Timor Domini.
4 Fortitudo.

HAec dona dantur per ſacramenta uel data augentur & nota quod ipſa dona ſunt quędam, diſpoſitiones a ſpirituſanĉto immiſſe in anima per quas homo facile mobilis eſt ad aliqua credendum & operandum ſecundum Deum. Ideo & ſi non ſit neceſſarium,utile tamē eſt ea cognoſcere.S.Tho.iij.ſententiarum diſt.xxxiiij. Item prima ſecunde.qō.lxviij.

Sex peccata in Spiritumſanĉtum.

1 Obſtinatio.
2 Deſperatio.
3 Præſumptio.
4 Inuidentia fraterne gratię.
5 Impugnatio ueritatis agnite.
6 Propoſitum nō penitēdi, ſiue finalis in pnīa.

HAec peccata dicuntur in ſpm̄ſanĉtū. i. cōtra gratiam ſpūsſanĉti,& dicitur,ꝙ non dimittuntur in hoc ſæculo nec in futuro. Matth. xij.

Quoniam ſunt ſub contrariis diſpoſitionibus ad remiſsionem, ſed ipſis diſpoſitionibus ablatis poſſunt remitti. S. Tho. ij. ij. q. xiiij. itē idē. S. Tho. in ſcripto ſuper Epiſtolam ad Romanos.

Septem opera Miſericordie corporalia.

1 Nudos ueſtire
2 Eſurientes paſcere
3 Sitientes potare
4 Captiuos redimere.
5 Infirmos uiſitare
6 Peregrinos recipere
7 Mortuos ſepelire

HAec opera miſericordie neceſſarium eſt nos exercere quomodo autem neceſſaria ſint ad ſalutem de neceſsitate pręcepti ponuntur a Beato Tho. ſuper. iiij. ſententiarum. diſt. v. q. v. Item ſecunda. ij. q. xxxij. arti. v.

Septem opera miſericordie ſpiritualia.

1 Ignorantes docere.
2 Conſilium bonum dubitantibus dare.
3 Peccantes corrigere.
4 Conſolari triſtes.
5 Offendentibus cum manſuetudine parcere.
6 Defectus proximi patienter ſupportare.
7 Pro amicis & inimicis orare.

OPera miſericordie tam corporalia q̃ ſpiritualia ſunt ſatisfactoria & meritoria, ſi in charitate fiant. Ideo Sacerdos Confeſsiones audiens debet ſtudere, ut ipſa noſcat, quatenus uel ſalubriter pro ſatisfactione imponere poſsit, uel ad meritum ſuadere, diſtinguuntur autem a Beato Thom.

Thom.in 4.diſt.15.q.7.&.2.2.q.3.2.art.2.

Incipit Secunda pars Principalis.

POſtquã autem ſupradictum eſt de his, quę neceſſaria ſunt, vel vtilia omnibus fidelibus ad ſciendum nunc ſecundo loco dicendũ eſt de his, quę ad Clericos in generali ſpectant.

Septem Ordines Eccleſiaſtici.

1	Hoſtiarius.	5	Subdiaconus.
2	Lector.	6	Diaconus.
3	Exorciſta,	7	Presbyter.
4	Acolitus.		

HAec quidem ſunt officia propria ſingulorũ ordinũ, quę ſingulis Clericis neceſſaria ſunt ſecundũ gradus ſuos, alias neſcirent, nec ad quid inſtituti eſſent, nec quid ex officio poſſent, aut deberent agere. Sacerdos eſt, qui habet poteſtatem conſecrandi euchariſtiam, alii ſex ſunt miniſtri eius, quorum tres ſuperiores ſunt miniſtrantes circa ipſum Sacerdotem in materia, vel in vaſis ſacramenti. Alij tres inferiores circa perſonas quibus ſacramenta dantur.

De prima Tonſura.

Ante omnes iſtos ordines eſt quędam profeſsio vitę ſpiritualis, quaſi media inter laicos & ordinatos, vt puta prima ad ordines non quidẽ ordo quia nõ habet poteſtatem aliquam ſpiritualẽ, ſed ordinum principium & hoc vocat̃ prima tõſura.

Hęc vera ſunt ſecundum opinionem Theolo gorum, qui tenent, ꝙ ordines clericales ſint ſeptem tantum propter ſeptiformem gratiam ſpiritusſancti, cuius munere ſua officia proſequuntur, Sed Canoniſtę dicunt, ordines prędictos eſſe nouem ad ſimilitudinem eccleſię triumphantis, in qua ſunt nouem ordines Angelorum annumerantes primam tõſuram, & Epiſcopatum aliis ſeptem ordinibus, quorum opinio per iura aperta probatur.

Officium Hoſtiarij.

Ad Hoſtiarium eſt ſcire officium eius, & ad quid inſtitutus ſit, Eſt autem officium eius intro ducere fideles in Eccleſia, & prohibere, ſiue cohercere infideles, aut etiam excommunicatos ab eccleſia, ſiue cętu fidelium, & cultu diuinorum. Vnde ipſi claues eccleſię dantur, vt hoſtia poſsit fidelibus aperire & infidelibus claudere. Secundario autem habet etiam ſigna aperitionis facere, vt percutere cimbalum vel campanas, ac etiã cuſtodire, ne aliquid extra Eccleſiam aſportetur.

Officium Lectoris.

Officium, quod huic neceſſarium eſt, eſt in eccleſia lege vetus duntaxat & nouum teſtamentum, vnde ſtudere debet, vt ſciat diſtincte legere, & pronunciare quę in lectionario ſcripta ſunt, & propterea cum ordinatur traditur ei, Liber lectio narius veteris teſtamenti, ad ipſum pertinet, etiã

ſecundario,benedicere panem, ac etiam fructus nouos, ſecundum conſuetudinem Antiquam quia offerre fructus nouos ex principio veteris teſtamenti ſumptum eſt,cuius lectura ad ipſum pertinet.

Officium Exorciſtę.

Huius principale officium eſt imponere manus ſupra fideles impeditos a demonio, quia impediti energumini dicuntur, ſiue cathecumini & exorzizare ſiue adiurare ſpiritus immundos, vt ab eis remoueantur. Ideo quando ordinantur exorciſtę, dantur eis libri exorciſmorum, qui ſunt letanię & orationes ad hoc pertinentes quęcunque. Secundario ad ipſum pertinet fundere aquam in miniſterio, non quidem Euchariſtię, ſed aut in ablutione pallarum,aut in baptiſterio, & dicere non communicantibus, vt dent locum his qui communicant,& iſtorum trium ſupradictorum habitus eſt ſimplex ſuperpelicium, & dicit beatus Tho. quòd eſt amictus & alba cum cingulo.

Officium Accoliti.

Ad Accolitum pertinet, ponere vinũ & aquã in Vrceolis,tã pro Euchariſtia,quã pro ablutione manuũ,vt Vrceoli ſint pleni & parati,qñ Subdiaconus eis vti voluerit,vnde in ſua ordinatione accipit. Vrceolum. Secundario ad ipſum pertinet preparare & accendere luminaria, & ipſa

de ferre prǫſertim quando dicitur Euangelium, & quando offertur ſacrificium. Vnde in ſua ordinatione dantur ei cerei non accenſi, vt oſtendatur, ꝙ habet illos accendere, & deferre, hoc ponit B. Th. eſſe ſibi ſecũdarium officium, licet alij ponant ipſum principale, habitus aũt iſtius eſt ſuꝑ pelicium, ſi luminaria portat ſed ſi miniſtrat altari ratiõe miniſterii in vrceolo, in aliquibus eccleſiis habet amictum & albam ſicut alij.

Officium Subdiaconi.

Principale officiũ Subdiaconi eſt preparare materiã ſacramenti in ſanctis vaſis pro Eucharistia .ſ. ponẽdo vinũ & aquã in calice, & ponendo panẽ ſeu hoſtiam ſuper patenã, Vnde quando cõſecratur ab Epõ accipit calicẽ vacuum cũ patena, vt oſtendat, ꝙ hẽt materiã ſacramenti .ſ. panem et vinum in illis ponere, & ad altare deferre, vel prǫſentare Diacono, eiq; miniſtrare. Secundario ad ipſum pertinet, lauare pallas corporales, & ſubſtratoria, & panicellos, q̃bus aſtringit̃ calix poſt purificationem, & aquã iſtarũ lotionũ debet poſtea ĩ baptiſterio ponere, vel ſacrario, licet aliqui ponant hoc eſſe officiũ Diaconi de cõſe. diſt. i. nemo, & cũ ꝑparat materiã ſacramẽti pro fidelium communione, debet ponere tot hoſtias, quot videat ſufficere ꝓ populo, q̃ vult communicare, ne multum ſuperſit. Item officiũ eius eſt legere epiſtolas, q̃ ſunt doctrina apoſtolica noui teſtamen-

ti & crucem ferre, habitus eius vltra amictū & albam, eſt manipulus, & in ſolennitatibus & feſtiuitatibus portat ſtrictam.

Officium Diaconi.

Principale huius officiū eſt diſpenſare ſacramentum, & pōt portare corpus xp̄i ſuꝑ patenā, non tāgendo illud, non autem diſpenſare, qa non poſſet corpus xp̄i diſpenſari niſi tangeretur, vnde dicitur Diaconus. i. miniſter, quia habet miniſtrare p̄sbytero in oībus ſacramentis. ſ. in euchariſtia principaliter, vt p̄dictū eſt, & in baptiſterio, & in benedictione. Pōt ēt abſente p̄sbytero baptizare, & in neceſsitate diſpēſare corpus xp̄i ad infirmos abſente p̄sbytero, vel de mandato eius, & patenā cum pane e vino acceptis a Subdiacono habet ponere in altari, & diſtendere corporales Secundario ad ipſum pertinet legere Euangelium, qđ eſt noui teſtamenti doctrina potiſsima & ab ore xp̄i tradita. Ideo cōmiſſa vni miniſtro. ſ. Diacono, exponere autem Euāgelium habet ſolum ad literā, nec oportet, vt ip̄m ad ꝓfundos ſenſus aliter ſciat. Ad ip̄m etiā ꝑtinent oīa, quę ſunt ad monitionem & denunciationem, vnde ex pręcepto debet & commiſsione p̄sbyteri, feſta annunciare, ac ieiunia, & nomina excōitorum vel aliter p̄ciſorum ab eccleſia de cōmiſsione ſuꝑiorum, & alias p̄monitiones in officiis diuinis facere, ſicut eſt dicere, flectamus genua humiliate capita, Itē

Miſſa eſt &c. & dare pacem, ſed tamen ab altari & a latere presbyteri non recedere donec ibidem ſit corpus Chriſti. Habitus eius vltra manipulum & reliqua, quę habet Subdiaconus, eſt ſtola ſuper vnum humerum tantum, & in feſtiuitatibus dalmatica.

Officium Presbyteri.

Sacerdotis ſiue presbyteri officium principale eſt, corpus & ſanguinem xp̃i conficere, & ex conſequenti alia ſacramenta diſpenſare, quę ſunt diſpoſitiones & pręparationes ad ſuſceptionẽ corporis xp̃i, ſicut eſt baptizare, & dare penitentiam ac etiam in matrimonio ſponſum & ſponſam benedicere, & alia facere, q̃ ſunt ex parte totius eccleſię, ĩ cuius perſona facit. Vnde ſolus presbyter in officio diuino dicit oratiões & dat benedictiones, habitus eius vltra prędicta ẽ ſtola ſuper vtrũque humerum & caſula in Miſſa.

Officium Epiſcopi.

Vltra omnes iſtos ordines eſt Epiſcopatus, ad quem ſpectat iſta facere. ſ. clericos ordinare. virgines benedicere, baſilicas dedicare, clericos conſecrare & deponere, ſinodum celebrare, chriſma conficere & confirmare, veſtes & vaſa conſecrare habitus eius, & inſignia vltra habitum presbyteri, eſt calice, ſandalia ſuſcintorium, ſtricta, dalmatica, mitra, chirothecę, annulus, baculus, hęc collecta ſunt pro magna parte de officiis ab Iſidoro

in Libro Ethimologiarum,& habentur tranſumptiue in Decret.diſt.21.cleros.Item diſt.93.ſpecialiter de Diaconis.Item de habitibus ſacrorum ordinum ex Rationali Diuinorum, & de ſtola ſpecialiter diſt.25.& de Epiſcopo eadem diſtin. & ſparſim pluribus locis in Decretis ſed in ſumma colliguntur a beato Tho.4.ſententiarum. diſ. 24.q.vltima.&c.de conſec.diſt.prima,& in ſequẽtibus ad propoſitum faciunt.

Impedimenta ſuſceptionis prędictorum ordinũ & executionis officiorum, q̄ñ ſine diſpenſatione cũ talibus impedimẽtis ordines ſuſcipiunt. i.

IN his ordinibus conſtituendi, admoniti ſint, ꝙ legitime ſuſcipiant, puta ꝙ ſi impedimentum natalium habent, non ordinentur ſine diſpenſatione, ſi membrorum defectũ. vel ſeruitutẽ, vel bigamiã, vel etatem minorem, vel ceteras irregularitates, nã in talibus ordinati ſine diſpenſatiõe eſſent ſuſpenſis ab executione officii ſuſcepti ordinis perpetuo vel ad tẽpus. Qui ergo ordinandi ſunt caueant ab his quę infra ſcribuntur, quòd ſi ordinati ſint, ꝓcurare debent, qui de talibus infraſcriptis ſunt culpabiles, vt defectum ſuum confitęantur, & impoſitam penitentiam ſalubriter adimpleant vel diſpenſationem miniſtrandi de miſericordia petunt, hęc diffuſe colliguntur. diſtin. 50.

1 Debet ordinandus, eſſe legitime natus, nam illegitime natus, ordinari nõ debet, niſi eſſet Monacus, & ordinatus ſine diſpenſatione ſuſpenſus eſt ab adminiſtratione. Diſpenſatio vero requirenda eſt a Papa, & in minoribus ordinibus põt Epiſcopus diſpenſare, extra de filijs presbyterorum diſt. 55. Diffuſe.

2 Debet eſſe corpore integer. i. nõ vitiatus ſiue mutilatus membro, ex cuius carentia ſeq̃tur inhabilitas miniſtrandi in ordine, vel magna deformitas, quoniã in talibus promoti eiiciunt̃, extra de corpore vitiatis ꝑ totum, de quo & diſt. 55.

3 Debet eſſe in etate legitima quando ordinat̃ .i. in tribus inferioribus attigiſſe, vij. annum, in Accolitatu. xij. in Subdiaconatu. xviij. ĩ Diaconatu xx. in pſbyteratu. xxv. ordinati autem ante etatem ſuſpenduntur ab adminiſtratione vſque quo ad etatem legitimam peruenerint, extra de temporibus ordinatis & qua. or. vel non eſt compos. & diſt. 77. & ſecundum ius nouum in cle. generalem eodem ti. quo ſupra.

4 Debet eſſe monogamus negatiue intelligendo. i. non bigamus. i. non habuiſſe duas vxores vel vnam cognitam a duobus, diſt. 32. nemo diſt. 33. c. ſuper vbi dicitur ꝙ bigami ordinati ſunt ab ordinibus deponendi, huius diſpenſatio pertinet ad Papam, &, c. nuper & c. finali de biga.

5 Debet non eſſe manifeſte criminoſus, crimi-

ne.ſ.enormi,vel requirente diſpenſationem,ſecũ dum ꝙ dicit Apoſtolus ad Timotheum,irreprehenſibilem,& ad Titum ſine crimine,& dicuntur manifeſte criminoſi hii qui conuicti ſunt de crimine,per ſnĩam vel confeſsionem in iure,& corã ſuo iudice factã vel certã & publicã euidentiam facti,quę nulla poſsit tergiuerſatione celari,quoniã ſi tales ordinati ſunt, non debent permitti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Occulte autẽ criminoſi,non debent miniſtrare,niſi prius cõgruentem penitentiam fecerint diſt. 50. c. de his extra de etate,& qua.orie. queſitum, & ex hoc conſequenter ſequitur,ꝙ publice ſolenniter penitens poſt peractam penitentiam non debet ordinari, quoniam talis penitentia non imponitur niſi pro vulgatiſsimo crimine quod ſcandalizauerit vrbem vel populum,& ordinatus caret executione officij tanquam irregularis,de qua habentur diſt. 50.in capite & in ſequentibus, & de diſpenſatione eius.c.hi qui poſt, & diffuſe de hoc Beatus Tho.4.ſententiarum diſt. 24. vbi cauſam huius irregularitatis declarat.

6 Debet eſſe liber, nã ſerui ſine licentia dominorum ſuorum ordinati,deponunt diſt.53.Nullus.extra de ſeruis non ordinandis,c. de ſeruorũ, debet etiã eſſe liber a reddenda rõne .i. ꝙ non ſit obligatus ad rõnem reddendam aliis, ſiue de rebus aliorum,ſicut ſunt tutores,curatores,ꝓcura-

tores,& ſimiles extra de obligatis ad ratioci.
Ad idem facit,quod dicitur,2.q.3.per totum, ne clerici vel monachi &c.c.1.& 2. Item debet eſſe liber a curia diſt.51.pręterea.

7 Debet eſſe mundus a ſanguine hoc eſt ꝙ poſt baptiſmum non habuerit effectum in vindicta ſanguinis precipiendo, vel conſulendo, vel inducendo ad homicidium aut mutilationem membri,etiam ex iuſtitia ſine diſpenſatione Papę,quā do mors,vel mutilatio ſecuta fuerit, ſicut iudex aduocatus,vel procurator,aſſeſſor,officialis conducens ad mortem,notarius ſcribens ſententiam vel atteſtationes,aut alius dicens aut proferens talia in iudicio,aut etiam medicus deficiens in arte vel diligentia,ſi per talem defectum mors fuerit ſecuta. Omnes tales ſunt irregulares nec ordinantur ſine diſpenſatione Papę,quando mors vel mutilatio ſecuta fuerit ſunt priuati ab adminiſtratione,diſt.50.Diffuſe,Item diſt.51.c.aliquantos. c. vltimo de eta.& qua.

8 Debet eſſe in ſuo ordine & habitu, quoniam ordinati in apoſtaſia ſunt priuati executione ſuſceptorum ordinum,& diſpenſatio de executione haberi non poteſt,niſi a ſummo Pōtifice in maioribus ordinibus,extra de apoſt.c.vlt.

9 Debet non ingeſſiſſe ſe miniſterio ſacramentorum ante ordinationem,quoniam ſi non ordinatus miniſtraſſet,non poſſet poſtea ſine diſpen-

ſatione Papę ordinari & ſi ordinaretur, caret ordi nis executione , extra de clerico non ordinato miniſtrante.

10 Debet accipere ordines ordinate ſecũdum quòd ſupra nominati ſunt. quoniam ſi per ſaltũ eſſet promotus. ſ. aliquo ordine etiam ignorãter prętermiſſo, nõ debet miniſtrare in ſuſcepto, nec ad ſuperiorem ordinem promoueri, & ſi ſcienter hęc fecerit, & in ordine ſuſcepto miniſtrauerit, ꝙ vlterius aſcendat non poteſt niſi per Papam diſpẽ ſari diſt. 52. c. ſolitudo . extra de cle. Per ſaltum promotum.

11 Debet aperte promoueri ad ordinem expo nendo ſe examinationi , & explicando quę de- bet, ſicut ponitur diſtin. 24. cap. quando , & ſi fur tim ſe ingeſſerit caret executione ordinis, & quę rere habet diſpenſationem ab Epiſcopo quod ſi lata ſit contra eum excommunicationis ſenien- tia propter huiuſcemodi excommunicationem, non poteſt ſecum vt miniſtret diſpenſari niſi a Papa. diſt. 24. ſi quis presbyter, de eo qui furtiue ordines ſuſcepit. c. i. & ij.

12 Debet in debitis, & ſtatutis temporibus ordinari , quoniam ſi extra tempora a iure po- ſita ordinatus ſit , vel in temporibus vna die duobus ordinibus ſacris , vel minoribus & vno ſacro , aut duobus continuato ieiunio non debent permitti in ſuſceptis miniſtrare , de tem-

poribus ordi.c.ſane,&,c.literas.

13 Debet ordinari a proprio Epiſcopo vel ab alio cum licentia ſui ꝓprii,quoniã ſi ſecus fecerit ſuſpendendus eſt ab adminiſtratione, & aliquibus videtur ꝙ ipſo iure ſit ſuſpenſus 67. diſt.c.j. de temporibus ordinatio. c. quod tranſlationi. Item eodem tit. lib. vj. non minus ordinatus ab Epiſcopo qui renunciauit,tit.ſui Epiſcopatus de ordi.ab Epiſcopo qui renunciauit.c.j.

14 Debet ordinari ſine ſimonia,quoniam ſi fuerit ordinatus per ſimoniam vel a ſimoniaco ſcienter ſuſpenſus eſt ab adminiſtratione.9.q. j.ab excommunicatis de ſimonia,c.accuſatum. c. quotiens & c.tanta eſt labes.

15 Debet ordinari ab his,qui ſunt intra eccleſiam & habent facultatem ordinandi. quoniam ſi ordinaretur,ab hereticis,ſciſmaticis,excommunicatis, depoſitis vel ſuſpenſis, pręſertim ſcienter,non poſſet in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, 9.q.primam per totum,de ſciſmaticis. c. primo & ſecundo, & hoc etiã declaratur a Beato.Tho. 4.ſententiarum diſtin. 24.ſecunda ſecunde.q.39 & addit ꝙ ipſi recipientes excommunicati non ſint.Vide de ſententia excom.cum illorum.

Hęc ſupradicta ſunt impedimenta, quę aſpici debent ante ordinationem,ſed & poſt ordinationem,ſi per ſententiam cadit in excommunicationem depoſitionem ordinis vel ſuſpenſionem, mi

niſtrare non debet, donec in tali ſententia fuerit ſed etiam ſi ipſo iure ꝓpter aliquem actum eius in huiuſmodi ceciderit quoniam in talibus exiſtens & miniſtrans ſcienter, pręſertim ſi ex contemptu, irregularitatem incurrit.

Tertio loco ſecundum ordinem, redeundum eſt ad presbyteros, poſtquam ĩ generali, de omnibus clericis dictum eſt.

Tertia rubrica principalis de presbyteris ſimplicibus.

TRiplices autem ſunt presbyteri ſiue ſacerdotes, alij quidem ſimplices .i. non habentes curam animarum, ſed tantum presbyteratus ordinem, & hii debent ſcire qualiter officium, & miſſa celebrãda ſunt alia vero ſacramenta hii non habent diſpenſare, niſi quando vellent ab alijs facultatem accipere, qui dare poſſent vel quando eſſet caſus neceſsitatis, & propterea aliorum ſacramentorum diſpenſationem, non eſt tam oportunum ſcire Alii autem ſunt presbyteri habentes curam animarum, hii ſcire debent quinque pręſertim ſacramentorum diſpenſationem, nam alia duo, ſcilicet confirmatio & ordo ad Epiſcopum diſpenſare pertinet, & ſcire debẽt, ea quę communiter ſunt ad fidem & bonos mo-

res,vt illis ſciant inſtruere populum ſibi ſubiectũ. Alij autem ſunt dicti Epiſcopi,& hii debent ſcire non ſolum prędicta & communia, verumetiam difficilia,quę accidere poſſunt circa diſpenſationem ſacramentorum, & circa fidem, & circa mores, ac peccata,vt ad ipſum ſit recurſus, quando quęſtiones difficiles occurrunt inferioribus præsbyteris, hoc dicit Beato Thom.4.ſententiarum, diſtinctio. 24. Item in Decret.diſtin. trigeſima octaua,per totum.

Dicamus primo de presbyteris ſimplicibus, hii quidem ſcire debent officium diuinum, & ordinare illud ſecundum ritum & modum ſue eccleſię Metropolitanę niſi eccleſia ſua ſpeciale officium a Metropolitano ex priuilegio haberet 22.diſt.de hiis ſed omnibus clericis beneficiatis incumbit dicere offitium,clericis etiam in ſacris exiſtentibus,ſiue beneficiati ſint, ſiue non. San. Tho. in quolibet art. primo. cap. Epiſcopo, & cap. cum ſecundum de preben. de celebratione Miſſarum.c.i.

Secundario principaliter debent ſcire, Miſſas celebrare,tam quo ad lectionem quam quo ad cõſecrationem,vnde debent intelligere rubricas ſiue regulas miſſalis,& ſcire illas ad tempora aptare,quando dicitur Gloria in Introitu, quãdo Gloria in excelſis, que orationes,& quot debent dici, que Epiſtola,quod Euangelium,quando Credo,

quę Pręfationes, & ſic de aliis debent ſcire cerimonias Miſſę.i.Inclinationes eleuationes,ſignationes,Thurificationes, & ſimilia, hęc omnia in Miſſali ſcribuntur.

Plurima alia ſunt quæ & ſi nō omnia ad ſciendum ſint neceſſaria, quia dum de ipſis dubitatur. poteſt ad Epm recurri,vel ad alium de quo certū habeatur,ꝙ ſit doctus,iuxta id.Interroga patrem tuum, & dicet tibi maiorem tuum & annunciabit tibi,tamē quia ſaltem vtilia ſunt, ideo quo ad potero breuius hic deſcribam.

De loco in quo celebranda eſt Miſſa.

PRimo igitur dicendum eſt de loco, & dico ꝙ eccleſia conſecrata eſt proprius locus, in quo debet Miſſa celebrari. tamen conceditur, quòd etiam in eccleſia non conſecrata celebretur, ſi tamen altare ſit conſecratum,vel ſaltim ſi altare nō ſit conſecratum,quòd ſit altare viaticum, in quo ſit reliquie ſanctorum duorum vel plurium. & tunc ſi habeat licentiam celebrandi ſuper altare tali poteſt cum ipſo in tentoriis, patris,& aliis locis dummodo honeſta ſint propter aliquam cauſam rationabilem celebrare altare autem lapideū debet eſſe. Eccleſia autem ſi alicuius ſanguinis, vel ſeminis effuſiōe polluta ſit,& cum fuerit corpus excommunicati ſepultum in ea,non eſt in ea celebrandum niſi reconcilietur Hęc Omnia colliguntur de conſecratione, diſtinct. i. ſicut non

& in ſequentibus.& cap.placuit.& cap.altaria de conſecra.eccleſię,vel altaris.cap. propoſuiſti, & cap.vlti.

De Vaſis.

2 Secundo dicendum eſt de vaſis ſacramenti, & dico,ꝙ ſunt calix & patena, quę debent eſſe ex auro vel argento,non autem ex criſtallo,aut lapide,aut ere,aut ferro,aut auricalco,aut vitro. Verumtamen propter neceſsitatem, & inopiam eccleſię,ſiue presbyteri,conceduntur ex ſtagno, de conſe.diſt.prima,vt calix de celebratione miſſarum,c.finali.

De tempore celebrationis Miſſę.

3 Miſſa non debet celebrari niſi poſt Matutinas,& non ante lucem, niſi in nocte Natiuitatis Domini, & in nocte Reſurrectionis ſecundum conſuetudinem Antiquam, quę derelicta eſt, Et debet celebrari Miſſa conuentualis in diebus feſtiuis hora Tertie,in ferialibus hora Sexte;in diebus ieiuniorum hora None,& quando conferuntur ordines ſacri,etiam poſt Nonam, quia illi vt dicit,S.Thomas, trahunt ad diem Dominicum, colliguntur hęc de conſe.diſt.prima,c. Nocte:& c.Solent.Vna ſola Miſſa in die dicenda eſt a Sacerdote & non plures, cum ſatis felix ſit qui vná ſolam digne poteſt celebrare,pręter quam in die Natiuitatis Domini,in quo tres poſſunt celebrari,Item ſi celebrata vna Miſſa propter ſuperue-

nientem

nientem neceſsitatem aliquorum infirmorum ne ſine uiatico decedant conſecrandum ſit corpus Domini. Ex iſtis enim cauſis poteſt quis in die iterum celebrare, ſed cum pluries celebrandum eſt, non eſt ſumenda purificatio niſi in ultima, quia ſolueretur ieiunium, colliguntur hęc de cõſec. diſt. j. c. ſufficit. de celebratione miſſarum. conſuluiſti, & c. ex parte. & te referente. Item Thomas in iiij. & in tertia parte.

4 Dico ꝙ Miſſa celebranda eſt cum ueſtimentis appropriatis, & cum lumine, cũ miniſtro maſculo, & non fœmina, pręſentibus ad minus duobus ſi fieri poteſt. Alias ſicut dicit Hoſtienſis. Vnus ſufficit, quilibet autem omittens aliquid prædictorum, quæ, de loco, tempore, uaſis, & ritu, dicta ſunt grauiter peccat, ſed tamen conficit, ſi ſit debita materia & debita forma, ſi autem deficiat materia uel forma, uel miniſter, uel intentio miniſtri (quia iſta ſunt neceſſaria requiſita ad hoc) ſacramentum non conficitur.

De Miniſtro & qualiter debeat eſſe diſpoſitus.

5 Miniſter. i. celebrans Miſſam, debet eſſe pręsbyter, nam alius inferior ſacerdote non poteſt conſecrare & ſiquidem ſit excommunicatus, ſuſpenſus, uel degradatus, habens intentionem cõficiendi, conſecrare poteſt, ſed faciens grauiter peccat. Non debet aliquis accedere ad commu-

nionem habens conſcientiam peccati mortalis, alioquin multum peccat, & manducans & bibens indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. & efficitur reus corporis & ſanguinis Domini, ut Apoſtolus dicit, nec ſufficit ei, qui uult communicare uel conſecrare, quòd doleat de peccato, & proponat non ultra facere, ſed etiam oportet, ut illud confiteatur. & ſi habet copiam ſacerdotis, qui eum abſoluere poſsit, peccat ſine confeſsione communicando, ſi uero non habet copiam ſacerdotis, ſi non ſit neceſsitas debet expectare, quouſque ſacerdotis copiam habuerit, ſi uero inſtat neceſsitas communicandi uel celebrandi, ut puta, quia ſcandalum populi timetur, uel iam cepit miſterium ſacramenti, quando recordatus eſt de peccato. ita quòd ſi non perficeret ſcandalum eſſet, uel infirmus aliquis uolens communicare eſt prope mortem, & expectat ꝙ conſecretur corpus Chriſti, tunc in talibus neceſsitatibus ſufficit habere propoſitum confitendi, primũ tamen doleat de negligentia ſua, quod prius non fuerit confeſſus. Hoc ſacramentum debet a ieiuno ſumi, ita quòd communicans nullum cibum ſumpſerit ſiue potum, ea die, & intelligitur de cibo & potu, etiam quòd non frangat ieiunium, ſecundum eccleſiam, ſed etiam ſi Miſſa, multum mane celebratur, ſicut in nocte Natiuitatis curandum eſt non ſolum, ut poſt me-

diam noctem non comederit uel biberit,ſed etiã multum ante, ita q; non minus ſeptem horarum interuenerit inter cibum,& Miſſam,quia neceſſe eſt quòd ſit facta digeſtio cibi in ſtomaco. Etaduerte,quòd poſt ſumptionem aquę uel medicinæ non licet celebrare, etiam in quantumcumque parua quantitate, nec refert utrum nutriat,uel non,aut per ſe,aut cũ aliis, ſicut aqua pura,quę licet de ſe nõ nutriat,tñ admixta aliis humoribus nutrit, omne quidẽ tale impedit dũmodo ſumatur per modũ cibi uel potus. Reliquiæ aũt cibi ſumpti in ſero, remanentes in ore,ſi mane caſualiter tranſmittantur,non impediunt cõmunionem, quia non tranſglutiuntur per modum cibi,ſed per modum ſaliuæ, quod uitari nõ poteſt. Et ſi lauando os in mane aliquo modo aqua pauca tranſglutiatur præter intentionem, ut puta mixta ſaliuæ, quod uitari non poteſt, cum ſit, quaſi per modum ſaliuæ & non potus, non impedit ſumptionem, dommodo non tranſglutiatur in magna quantitate. Si uero ante mediam noctem ſit ſumptus cibus uel potus, poteſt quis communicare, nec refert utrum dormierit, uel non poſt cibum ſumptum, uel utrum ſit cibus digeſtus uel non, non refert dico quantum ad rationem præcepti, quod eſt, ut ſumatur a ieiuno refert, tamen quantum ad purgationem mentis in hoc, quod tollitur

deuotio cum ſtomacus ſit plenus. Si ſacerdos infra Miſſam recordatur ſe comediſſe, uel bibiſſe, tunc ſi ſit ante conſecrationem, debet deſiſtere, ſi uero poſt conſecrationem recordatur, debet nihilominus ſumere, licet non ſit ieiunus, quia pręceptum illud, quod ſacramentum perficiatur, eſt maioris ponderis, quàm præceptum illud, quòd a ieiunis ſumatur. Similiter ſi poſt conſecrationem recordatur ſe commiſiſſe aliquod peccatum mortale, debet pęnitere cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, & ſimiliter ſi recordatur ſe eſſe excommunicatum, uel ſuſpenſum, debet aſſumere cum propoſito petendi abſolutionem, & dolere de negligentia, & omiſsione, ꝙ ante non fuerit recordatus. Nam per inuiſibilem Pontificem Ieſum Chriſtum pro illo actu conſequitur abſolutionem, ad hoc, ut peragat Diuina myſteria. Similiter ſi ante conſecrationem de aliquo prædictorum recordetur, tunc tutius eſt, præſertim in caſu excommunicationis uel ſuſpenſionis inceptam Miſſam deſerere, niſi forte de graui ſcandalo timeretur.

De Pollutione.

De Pollutione in ſomnis dicendum eſt ꝙ accidit aliquando ex nimia ſiue inordinata ſumptione cibi, aut potus, & tunc eſt abſtinendum a communione, aliquando accidit a cogitatione præcedenti, tunc ſi fuit conſenſus in delectatio-

ne talis cogitationis de uenereis,quia talis cogitatio eo caſu eſt peccatum,ideo abſtinendum eſt a communione,ſi uero dubium eſt,utrum in tali cogitatione fuerit peccatū mortale, hoc eſt utrū fuerit deliberatus conſenſus in delectatione talis cogitationis, cum in dubiis tutior pars eligenda ſit, totius eſt abſtinere pro ea die a communione,niſi neceſsitas requireret,quòd celebraret ſiue communicaret. Si uero in tali cogitatione non fuerit peccatum,puta ut legendo uel docendo aliquid circa uenerea cogitetur abſque peccato, tunc ſi accidat pollutio propter talem cogitationem poteſt communicare eo die, ſed nota, quòd licet quandoque accidat ſine peccato, tamen aliquando tantum perturbauit mentem propter fantaſmata ſiue imaginationem impreſſam, quòd cogitatio eſt multum Pro ea die abſtracta a diuinis, & tunc quia diminuta eſt deuotio,melius eſt abſtinere, quia hoc ſacramentum magna deuotione debet ſumi. Aliquando uero accidit, quia diabolus procurat, ut in ſomnis fantaſmata appareant mulierum & imprimit ipſe talia ſomnia in fantaſia dormientium, & excitat corpus ad illum actum, & tunc ſi non ſit præcedens aliqua mala cauſa cogitationis & cibi,ſed ſolum ex illuſione diaboli, poteſt homo communicare, ſed quia difficile eſt comprehendere utrum ſit ſola cauſa diaboli, uel potius etiam alie, ideo

tutius eſt etiam abſtinere, niſi neceſsitas requi-
rat, a quo omni ſero poſtulamus liberari dicen-
tes, hoſtemq; noſtrum comprime, ne polluantur
corpora. Et nota ꝙ quando abſtinendum eſt, ad
minus xxiiij. hore, quę ſunt unus dies naturalis,
debent tranſire, antequam communicetur, & ſi-
militer dicendum de coitu coniugali, ꝙ ſi fiat cũ
peccato, impediat communionem. ſi uero cauſa
prolis generandæ, uel cauſa reddendi debitum,
non impedit, niſi, ſicut dictum eſt, tanta fuerit di
ſtractio mentis, ꝙ minueretur deuotio, unde me
lius eſt abſtinere in die ante, ac etiam per diem
unam poſt. Nota etiam ꝙ ſacerdos ſemper quan
do conſecrat, debet ſumere, ut perficiat actum ſa
cramenti, ſi autem contingat, ꝙ poſt conſecra-
tionem, ante ſumptionem, infirmetur, uel cadat,
ita ꝙ nõ poſsit miſſam perficere, tunc alius ſacer
dos miſſam ſequatur, & ſi non ſit alia hoſtia, niſi
una, diuidat illam, & partem det infirmo, & par-
tem ſibi ſumat, & ſimiliter ſi poſt conſecratio-
nem corporis, ante conſecrationem ſanguinis
infirmetur, uel moriatur, alius perficere debet,
ſi autem ante conſecrationem corporis, hoc con
tingat, non eſt opus, ut alius proſequatur. Si quis
autem inceptam conſecrationem, uſque ad con-
ſumationem, potens, non perfecerit, cadet in
excõmunicationis ſententiam ex decreto Con-
cilij Tolletani.

De materia Sacramenti.

6 Materia huius Sacramenti eſt panis triticeus azimus, & uinum de uitę, cui ſit admixtum aliquãtulum de aqua naturali, primo oportet, quòd panis ſit triticeus, quia in pane ordei, uel alterius bladi, nõ poteſt confici corpus Chriſti, de pane, qui factus eſt, ex mixtura, ſcilicet ex farina frumenti, & aliorũ granorũ, dicendũ eſt, ꝙ ſi maior ſit quantitas frumẽti, quã aliorũ, cõficitur, ex eo corpus Chriſti, ſi aũt ſit tãta uel minor, nõ cõfici tur, debet.n. eſſe ex farina frumenti ſolũ, & ſiquis ſecus ſciẽter fecerit, peccat, ſi uero panis ſit de fa rina frumẽti ſolũ, & tamen confectus ſit, non cũ aqua pura, ſed cũ uino, uel aqua roſata, uel ſimili bus, tunc aliqui dicunt, ꝙ poteſt in eo cõfici, ſed tutius eſt dicere, ꝙ nõ. In pane fermentato confi citur quidẽ, ſed grauiter peccat, qui in eo cõficit, præſertim in eccleſia occidentali, ſi uero quis in pane conficiat, qui nondum ſit corruptus ſed incipiat corrumpi, grauiter peccat, propter irreuerentiam ſacramenti, quod ex pane puro fieri debet. Si uero adeo corruptus ſit panis, quod deſierit eſſe ſpecies panis, non poteſt confici in eo, quando autem accidentia panis ablata ſunt, ſicut ſapor, odor, color, &c. & diuiſus in partes, ac diſcontinuatus, tunc ſignum eſt, quòd ſpecies pauis, ſiue forma ſubſtantialis, in eo deſiit eſſe. Si uero Sacerdos ante canonem aduertat, quòd

hoſtia ſit talis, ut in ea non poſsit confici, ita ꝙ non ſit de tritico, uel quod ſit panis corruptus, tunc debet illam dimittere, & alteram accipere, & ſi hoc aduertat dum inceperit canonem, uel ſignare hoſtiam, tunc debet dimittere illam, & aliam accipere, & a canone reincipere. Si uero hoc aduerterit poſt cõſecrationẽ, ſecundũ beatũ Thom. in iij. parte tunc debet aliam accipere, & incipere a Canone, & ſumere utranque, propter dubitationem, nunquid in ea conſecratum ſit, uel tradere illam aliis, de qua non eſt certum, ꝙ ſit in ea conſecratum, uel ipſam in loco ſacro ſeruare. Si uero aduertat de hoc, poſtquam ſumpſit hoſtiam tantum, uel etiam ſanguinem, uel ẽt purificationẽ, tunc ſcd̃m btm̃ Tho. in 3. parte, alia hoſtia ponenda eſt, & nouum uinũ & reincipiendum a Canone, & hoc ne ſacramentum remaneat impfectum, quod conficit̃ ex pane & uino, quę cõſecrãtur in carnẽ xp̃i & ſanguinem ꝙ ſi non poſuerit hoſtiã, uel poſitam perdiderit, ſi hoc aduertat ante Canonẽ, nõ eſt p̃iudicium. Si uero Canone incepto, & maxime ſi ceperit ſignare, tunc hoſtiam ponit & a Canone incipit.

De Vino.

Si Vinum factum eſſe acetum totaliter, non poteſt ex eo confici ſanguis xp̃i, quia vr̃ mutaſſe ſpeciem vini, ſi autem in uia ad acetoſum, ita ꝙ incipiat mutari in acetum, tunc non vr̃ reliquiſſe

ſpeciem vini. Vnde vr̃, ꝗ poſsit ex eo confici, ſed non debet propter irreuerenti am ſacramenti de uino corrupto, uerſo, non poteſt cõfici quia mutauit ſpeciem uini, ſi autem ſit in uia ad corruptionem, dicatur, ſicut de aceto, dictum eſt. In acreſte non poteſt confici, quia uidetur, non perueniſſe ad ſpecię̄ uini, in muſto põt cõfici, nõ tñ debet fieri, in multum recenti, ſiue in multũ nouo propter impuritatem. Item in uino alio, quam de uite, ſicut in uino granatorum, uel huiuſmodi, non poteſt confici, ſi uinum ſit mixtum ex uino uitis, & aliquo alio, ſi alterius rei, quam uini, ſit maior pars, uel equalis, tunc non põt confici, ſicut infra dicetur de appoſitione aque.

Si Sacerdos infra Canonem, antequam incipiat uerba conſecrationis, aduertat uinum uel aquam non eſſe in Calice, debet apponere, & a Canone reincipere, ſi uero aduertat poſt conſecrationem corporis. uidetur ſufficere, quod ponat in calicem, & dicat uerba conſecrationis, & non reincipere a Canone, quia quæ fiunt in Canone, non fiunt ſupra panem ſolum, uel ſupra uinum ſolum, ſed ſuper utrunque. Si uero aduertat, poſtquam dixerit uerba conſecrationis ſanguinis, debet apponere, & reſumere a uerbis conſecrationis ſanguinis. Si uero aduertat poſt ſumptionem corporis, debet apponere aliam hoſtiam non conſecratam, & po-

nere uinum & aquam in calice, & reſumere uerba cõſecrationis corporis ſuper hoſtiam, & uerba conſecrationis ſanguinis ſuper calicem & demum ſumere, quod ſi acceperit corpus & poſtea ſumat aquam exiſtentem in calice, credendo ꝙ ſit ſanguis Chriſti, poſt deglutionem aduertat ex guſtu, quod ſit ſola aqua, debet apponere aliã hoſtiam & uinum in calicem, ut dictum eſt, & illa iterum conſecrare poſtea ambo ſumere, nec obſtat, quod non ſit ieiunus propter illam aquã, quam ſumpſit, quia preceptum de perfectione ſacramenti, maioris ponderis, ut dictum eſt quã præceptum ut a ieiunis ſumatur.

De Aqua.

Si autem poſt cõſecrationem ſanguinis recordatur non poſuiſſe aquam, tunc non ponat, ſed penitẽtiã agat de inaduertentia ſua, ſi ponatur tanta aqua, ꝙ non poſsit conuerti in uinum, tũc aqua illa in ſanguinem non conuertitur. Vnde modicum quid aque debet infundi, ſicut duę uel tres gutte. Item nõ debet poni roſacea, ſiue ſtillata uel huiuſmodi, ſed aqua pura, nec ſufficit ꝙ aqua appoſita fuerit in uinum quãdo poſitũ fuit in dolio, ſed imminente oblatione, & ſacrificio, quia hoc fit ad ſignandum, quatenus aliquid repreſentetur. ſ. unio populi ad Chriſtum & fluxũ ſanguinis & aquę ex latere Chriſti, ideo oportet, ut tempore ſacrificij miſceatur.

De Defectibus & ſcandalis occurrentibus circa materiam.

Si Hoſtia conſecrata propter frigus, uel propter aliud ceciderit in calicem dolendum eſt de negligentia uel inſufficientia, non tamen eſt aliquid reſumendum. Si autem hoſtia conſecrata perdatur propter uentum, uel aliud, ſacerdos triginta diebus peniteat ideſt ieiunet, & a communione abſtineat. Si ſanguinis aliquid per negligentiã ceciderit ſup tabulam, quæ terre adheret & ſolet eſſe, ſub pedibus ſacerdotis ſacerdos cũ lingua debet lambere, uel prҿſcindere, ubi cecidit, ſi ſanguis penetrauerit, & pciſa cõburere & cõbuſta ponere in loco, ubi ſeruãt corpus xpi, uel in ſacrario, ſi fuerit terra ubi ceciderit uel aliud, ſimiliter fiat, & reliquie cõbuſtionis & cineres iuxta altare abſcondanẽ, & ſacerdos quadraginta diebus peniteat. i. ieiunet, & cõione ceſſet. Si ceciderit ſupra latus altaris, abſorbeat ſtillã & linguat, & tribus diebus peniteat, intelligẽdo penitere, modo quo ſupradictum eſt. ſ. ieiunare p illos dies, & a cõione ceſſare. Si uero ſuper linteamina altaris, ſeu pãnos ceciderit, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus peniteat, & ſi uſq; ad tertium, nouem diebus peniteat, & uſque ad quartum, uiginti diebus peniteat, & linteamina, quҿ tetigerit ſtilla, tribus uicibus miniſter abluat calice ſubterpoſito, & aqua ablu-

tionis iuxta altare condatur, pōt tamen illa aqua ſumi a ſacerdote, niſi propter abhominationem dimitteret,& bonum eſſet,ut pars illa lintei, ſiue palle incidatur,& poſt ablutionem comburatur, & cinis condatur. Siquis per ebrietatem uel uoracitatem,hoc eſt, propter ſumptionem nimiā & inordinatam cibi uomuerit euchariſtiam, ſi laicus ſit, quadraginta diebus pœniteat, ſi uero clericus,uel monachus,presbyter,uel Diaconus, lxx. ſi Epiſcopus xc. Si uero cauſa infirmitatis euomuerit. vij. diebus pœniteat, & debent uomitā cremari,& cineres recondi iuxta altare, & ſi accidentia uiderentur, non eſſe mutata, quia remaneat ſpecies panis,uel uini,poſſet ſumi,niſi propter abhominationem dimitteret. Tales autē pœnitentiæ,de quibus dictum eſt,licet ſint,determinate a iure ſub certa quantitate dierum de cōſe. diſt.ij. ſi per negligentiam, poſſunt nilominus ab illo qui audit confeſsionem de peccato talis negligentię uel uomitus augeri uel minui, conſideratis conditionibus circunſtantiis delicti, & perſonę. xxvj. qō. vij. tempora. Si muſca uel aranea,aut uermis,uel aliud abhominabile in calicē ceciderit,uel inuentū fuerit in eo, ſi ante cōſecrationē ſanguinis hoc euenerit euacuet,& alterum mundū ponat, & ſi poſt cōſecrationē ſanguinis, tunc illud animal debet caute capi, ne fugiat, & diligenter lauari,& poſtea cōburi,& aqua ablu-

tionis ſimul cum cineribus in ſacrario poni. Si deprehēdatur eſſe uenenum in patena uel calice ante cōſecrationem, abiiciatur, & aliud ponatur. Si uero poſt conſecrationem, tunc nullo modo debet ſummere, nec alteri dare, ne uita uertatur in mortem, ſed debet diligenter conſeruari, & ne ſacramentum remaneat imperfectum, debet nouum apponi, & Sacerdos de nouo debet reſumere conſecrationem ſanguinis, & ſacramentum perficere, hoc intelligendo, ſi corpus non ſumpſit, alias faciendum eſt, ut ſupradictum eſt, de defectu uini ſcilicet quod nouum panem apponat. Eſt autem regula, quod nihil abhominabile debet ſumi huius ſacramēti. Quando corpus Chriſti uel ſanguis apparet in alia forma, quam panis, uel uini, ut puta quando apparet caro, uel ſanguis, uel puer, ab illo, cui ſic apparet non debet ſumi, quia non uidetur tunc cibi apparentiam habere, et ſi omnibus apparuerit debet in loco reliquiarum ſeruari.

De forma.

7 Forma conſecrationis panis eſt iſta. (*Hoc eſt enim corpus meum.*) Forma conſecrationis ſanguis eſt. (*Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui & eterni teſtamenti, miſterium fidei, qui pro uobis et pro multis effundetur in remiſſionem peccatorū.*)

Quod autem dicitur accepit panem,uel calicem, & accipite. et mãducate &c.non eſt de forma ſacramenti,ſed tamen neceſſarium, quia per illud denotatur, ꝙ illa ſunt uerba Chriſti, & ſimiliter illud non eſt de forma; quotienſcunque feceritis &c.Similiter enim non eſt de eſſentia formę, ſed introducitur ſecundum uſum eccleſie ad ueritatem magis exprimendam, qui uſus a beato Petro initium ſumpſit. Si aliquid de prædictis uerbis quæ ſunt de eſſentia formæ diminuatur, uel mutetur, non fit conſecratio. Si aliquid uero addatur, quod mutet ſignificationem uerborum, uel formam, uel errorem inducat, tunc non conficitur,ſicut ſi dixerit.

Hoc altare eſt corpus meũ, uel hoc eſt corpus meum de celeſti materia, & non de uirgine natum.Si autem additur, quod non inducat errorem, nec ſignificationem mutet, ut puta hoc eſt corpus meum de uirgine natum, conſecratio ſit, licet non debeat apponi,& peccat apponens, ſi dicat uerba forme ad materiam abſentem, ita ꝙ materia non ſit ante ſacerdotem,non conſecrat, ut dicit btũs Tho.ſicut ſi ſacerdos eſſet in eccleſia, non poſſet conſecrare panem, qui uenditur in foro,uel qui eſt in cellario, &c.quia hæc uerba,hoc eſt corpus,hic eſt ſanguis,demonſtratiua oſtendunt materiam ibi eſſe ante ſacerdotem. Si Sacerdos non recordatur ſe dixiſſe uerba conſe-

crationis, non propterea debet ex hoc mēte turbari, nam qui multa dicit, non recordatur omnium, quæ dixit, ſi uero certus ſit ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſsitate ſacramenti, ſicut eſt forma conſecrationis, debet reſumere a forma cōſecrationis, & alia per ordinē reiterare.

De intentione miniſtri.

8 Vltimo dicendum eſt de intentione miniſtri ad cōficiendum ſacramentum quia cum materia, neceſſaria quidem eſt intentio. Debet igitur ſacerdos intendere facere, quod xp̄s fecit in cena, qui conſecrauit panem in corpus ſuum, & uinum in ſanguinem ſiue ut intendat facere, ꝙ facit eccleſia in celebratione miſſarum. Intentio (ſi fieri poteſt) debet eſſe actualis. ſ. quod mente cogitet, hoc quando uult celebrare & conſecrare, & ſi non poteſt eſſe actualis, ſufficit quod ſit habitualis, ita quod ſacerdos dum primo diſponit celebrare, uel dum uadit ad celebrandum, intēdit facere, quod facit eccleſia, ſicut dictum eſt, poſtea autem ſi intentio ſuſpendatur per aliquā occurentem cogitationem, ſicut ut plurimū fit: perficitur nihilominus ſacramentum ex uirtute prime intentionis. Quando aūt non intendit ſacramentum, ſed aut ſolum experiri actus, aut aliquid deluſorie agere, non perficitur ſacramentū precipue ſi intentionem exterius manifeſtet.

Si autem intentio Sacerdotis ſit peruerſa ſolum ad ea, qnæ ſignificat ſacramentum, puta ſi intendit conſecrare corpus Chriſti vt vtatur eo ad maleficium, uel uenenum, vel ad aliquam ſuperſtitionem, tunc cōficitur corpus Chriſti, cum prius non dependeat a poſteriori. ſed ſic agens grauiter peccat, Nota autem quod ſi ex obliuione aliquę hoſtie remaneant in altari uel aliqua pars uini, cum ſacerdos de illis non intendit conficere remanent non conſecrate, & ſimiliter ſi eſſent plures hoſtie in altari, & miniſter non intendit conſecrare niſi unam illarum, dirigendo intentionem ad illam determinate, tunc illa eſſet conſecrata, & non alię, aliqui ponunt caſum ꝙ ſacerdos habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendit conſecrare decem, quæritur quot ſunt conſecratę, Require Durandum ſuper. iiij. ſententiarum, qui ponit diſtinctam & diffuſam reſponſionem. Hæc quidem de celebratione Miſſæ utilia ſunt ad ſciendum præsbyteris celebrantibus, ut quādo aliquid eorum occurrerit, hoc etiam promptum habeant, quid agendum ſit. Allegationes pro omnibus diffuſiſsimum fuiſſet deſcribere, ſed ſufficit ea collecta eſſe a Beato Thom. in iiij. ſententiarum & in iij. parte ſumme, & ab Alberto in libro de officio Miſſę. Autentice autem de conſecratione diſtinctione prima & ſecunda. per totum.

Quarta

QVARTA PARS PRINCIPALIS
De Præsbyteris Curatis.

QVIA ars artiũ eſt regimen animarum, ideo Sacerdotibus curam habentibus ultra prædicta, plura alia ſcienda & maiori diligentia cognoſcenda ſunt. Quæ autem ſint illa ſummatim ponitur. diſt. xxxviij. quæ ipſis, ubi ex doctrina Auguſtini dicitur ꝙ Sacerdotibus ipſis, hæc ad diſcendum neceſſaria ſunt. Liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptiſterium, Computus, Canones Pœnitentiales, Pſalteriũ, Homeliæ per circulum anni, Dominicis diebus, & ſingulis feſtiuitatibus aptæ, ex quibus ſi unũ defuerit, Sacerdotis nomen uix in eo conſtabit, quia ualde periculoſe ſunt Euangelicæ minæ, quibus dicitur; ſi cecus ceco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt; hæc ibi. Tria ergo principaliter neceſſaria ad Sacerdotem hic notantur. Primo quod pertinet ad celebrationem, & ordinationem diuini officij, & pro his dicit Pſalterium, Lectionarius, Antiphonarius, Homeliæ, Computus pro feſtiuitatibus inueniendis, ſiue (ut nos dicimus) Kalendarium, quæ omnia continentur in ordinatione breuiarij, & de hoc dictum fuit ſupra in principio iij. partis. Secundum neceſ-

Et in confeſsione, q̄ dicat circunſtātias aggrauā tes peccatum, quæ ponuntur in hoc uerſu.

Quis, quid, ubi, quare, quotiens, & q̄uo, quādo, Quilibet obſeruet, animæ medicamina dando.

Debet etiam ſcire tempus, quod eſt de neceſsitate confeſsionis. Item quando propter neceſsitatem poſsit non oretenus confiteri. Item quæ habet ipſe ſacerdos reducere ad memoriam confitē ti. Item quando eiuſdem peccati confeſsio iteranda eſt, & quando non, quando licet aliena pec cata dicere, & quando non, & quomodo celare habeat confeſsionem, cui facienda eſt confeſsio, quia proprio ſacerdoti, & non alteri, ſine licētia proprij, ſimiliter circa ſatisfactionem debet ſcire congruentem imponere ſatisfactionē, & aptā ad remedium peccati cōſideratis circunſtantiis & conditionibus peccati & peccantis. Item quādo debet commutare ſatisfactionem impoſitam, & quando occulte, & quando publicę imponēda eſt. Item qualiter debet habere ſe circa confitentes in articulo mortis. Item de reſtitutione, cui qualiter, & quando facienda eſt. Item debet ſcire a quibus peccatis poſsit abſoluere, & in quātum ſe extendat facultas eius. Omnia quidem iſta a ſacerdotibus ſciri debent, nec poſſunt breuiter explicari, ſed ſufficit notare loca in quibus de his determinatur, ut in diſt. xxxviij. in illis. & in iiij. ſententiarum a magiſtro & doctoribus.

Item in ſumma confeſſorum, & in aliis ſummis de pœnitentia, tamen ut in promptu habeantur caſus reſeruati, cum eos ſcire in promptu ſit ualde gratũ, hic breuiſsimę & ſuccinctę deſcribam.

Caſus reſeruati Papæ.

1 SI quis in Clericum uel Religioſum, ac ẽt conuerſum religionis, manus uiolentas iniecerit, excommunicatus eſt, & ad Papam mittendus eſt xvij.q.iiij. ſi quis ſuadente de ſententia excõmunicationis non dubium, & quod dicitur in c.nuper, hi etiam poſſunt abſolui a Legato de Latere, etiam ſi ſit extra prouinciam ſuæ legationis, ac etiam ſi excommunicati aliunde ueniant de officio Legati, quod translationem & c. excommunicatis.

Item de ſententia excõicationis ad eminẽtiã. Excipiuntur caſus in quibus non incurritur excõicatio pro iniectione manuum in Clericum, quia non fit iniuria, & in aliis caſibus, qui ponuntur, ſiue colliguntur primo de homicidio, ſignificaſti. ij. Item de ſententia excõ.c.j.& ij.cum nõ ab homine.c.ueniens.c.in audientia.c. ut famæ. c.contingit.c.cum uoluntate ad quæ faciunt etiã ea, quæ dicuntur de hiis, qui perdunt priuilegiũ clericale.lxxxiij.diſt.quiſquis de uita, & honeſtate clericorũ.c.ult.eodem ti.c.clerici.lib.vj.

Item in c.degradatio de pęnis.lib.vj.excipiuntur caſus multi,in quibus & ſi incurratur excommunicatio propter iniectionem manuum &c. tamen poteſt abſolui ab alio infra Papam, quod propter breuitatem non enumero, ſed notentur loca in quibus ponuntur,de uita & honeſtate clericorum.c.quoniam de ſententia excō. monaci. & c.mulieres.& c.decetero.c.ea noſcitur.c.peruenit.c.a nobis. c. ſi uero. c. cum illorum.c. de monialibus.c.canonica.c.quāuis.& c.finali.

2 Omnis incendiarius,ſiue fractor eccleſię,cimiterij,uel loci religioſi, aut alterius ſpacij priuilegiati excommunicatus eſt,ipſo iure,& poſtquam eſt denunciatus excommunicatus in particulari,uel uniuerſali non poteſt, niſi per Papam, abſolui. Incendiarij autem aliorum locorum, non ſunt excommunicati ipſo iure, ſed excommunicandi,niſi ſatisfecerint,& tunc poſt excōmunicationem & publicationem, etiam hij non poſſunt abſolui,niſi per Papam,colliguntur hęc. xj.q.iij.canonica.xvij.q.iiij.omneseccleſię.xxiij. q.ultima.ſi quis.& c.peſſimam de raptoribus. c. primo.de ſententia excommuni.tua,& not.glo. ibidem.& c. conqueſti.

3 Siquis a Papa nominatim excōicatus fuerit, non poteſt abſolui niſi ab ipſo Papa, & ſimiliter qui prædicto ſcienter participauerit, & cum in dininis receperit de ſenten.excom. ſignificauit.

4 Et quicunque excommunicatus eſt a Delegato Papę, qui noluit obedire ſentētiæ diffinitiuæ ipſius delegati, ſi ſteterit in excōicatione per annū, non pōt, niſi per Papam abſolui, quia eius iuriſditio expirauit de officio dele. c. quærenti.

5 Omnis falſarius literarum Apoſtolicarum, aut qui eis literis falſis ſcienter uſus fuerit, excōmunicatus eſt, & abſoluendus a Papa. de crimine falſi. c. dura. & c. ad falſariorum, excommunicatus etiā qui receperit literas apoſtolicas ab aliis, quàm de manu, Papæ, uel bullatorum eius, aut eorum, quibus ſecundum curiæ ordinem illas dare pertinet, ut in eodem c. dura, & idem ſecundū proceſſum prædictum de his, qui falſificant ſupplicationes Papæ, & effectus eſt caſus Papalis, ſicut de literis apoſtolicis, & ſimiliter de hiis, qui manus apponerent ad literas Papales corrigendo, addendo, uel minuendo, niſi quibus eſt hoc ex officio commiſſum.

6 Omnis qui inſecutus fuerit, percuſſerit, aut ceperit aliquem ex ſanctæ Ro. Eccleſiæ Cardinalibus, uel quicunq; tali inſecutioni, aut percuſſioni dederit conſilium, auxilium, uel fauorem, aut eum receptauerit, uel defenderit, excommunicatus eſt, nec poteſt abſolui, niſi per Papam, de pœnis. c. fęlicis. lib. vj. Additum ēt de inſecutione Epiſcoporū, qui aliquē Pontificem ceperit, percuſſerit, aut exulē fecerit, uel tali inſecutioni de-

derit,auxilium,conſilium,uel fauorem, ſit ſimi-
liter excōicatus,in clemen.de pœnis. ſi quis,

7 Si lata aliqua ſententia contra Regem aut
Principem,aut Nobilem, aut aliā perſonā, quis
dederit licentiam occidēdi,capiendī, ſiue etiam
aliter grauandi in perſona uel in bonis ſuis aut
ſuorum,eos qui tales ſententias tulerint, & illos
etiam,qui tales ſententias obſeruant,ſiue eos qui
talibus excommunicatis cōmunicare noluerint
ſiue illos quorum inſtantia uel occaſione tales
ſententiæ ſunt prolatæ,niſi licentiā ipſam re in-
tegra reuocauerint, uel ſi ad bonorum captionē
ſit proceſſum occaſione ipſius ſententię,niſi bo-
na ipſa fuerint infra octo dierum ſpacium reſti-
tuta,aut ſatisfactio pro ipſis impenſa,ſunt excōi
cati,in qua ſententia, ſi per duos menſes perſti-
terint,non niſi per Papam abſolui poſſent, & ſi-
militer dicitur de illis,qui ea licentia uſi fuerint,
aut ſponte ſua ſine licentia, talia fecerint de ſen-
tentia excommunicationis quicunque libro vj.

8 Siquis inquiſitor hæreticæ prauitatis, odio
amore uel lucro uel etiam precibus ductus con-
tra iuſtitiam, & contra conſcientiam ſuam dimi-
ſerit, cōtra illum procedere, aduerſus quem de-
beret,ex officio ſibi incumbenti. Item ſi quem-
piam uexauerit prædictis cauſis imponendo ſibi
hæreſim aliquam. Item ſi aliquis citra Ep̄m uel
ſuperiorem,officium, ſiue executionem inquiſi-

toris impedierit, non poteſt niſi a Papa abſolui in cle.de hæreticis.c.multorum notanter, dicitur citra Epiſcopum, quia ſi quis Epiſcopus aut ſuperior impedierit, non eſt ipſo facto excõmunicatus, ſed per triennium ſuſpenſus.eodem. c.

9 Item excommunicatus eſt, & non poteſt niſi per Papam abſolui, quicunq; religioſus, abſque licentia Diœceſani, uel ſacerdotis parrochialis, aut Vicarij eius eccleſiæ ordinarie curam gerentis, miniſtrauerit ſacramentũ corporis Chriſti, uel extremæ unctionis, aut ſolenniżauerit matrimonim, hoc eſt ſolenniter ſponſum, & ſponſam benedixerit, aut ab excommunicatione canonis in caſibus ei non conceſsis abſoluerit, uel a ſententiis per ſtatuta ſinodalia promulgatis, aut etiam a pœna & culpa in clemen. de priuilegiis.c.religioſi.

10 Si quis Clericus uel religioſus induxerit quempiam ad uouendum, iurandum, uel promittendum, ꝙ non elegerit ſepulturam, niſi apud eccleſiam eius, uel electam non mutabit, excõicatus eſt, ut ſupra in clemen.de pœnis cupientes.

11 Siquis aſtrinxerit ſeu coegerit celebrari in loco interdicto, aut uocauerit alios ad officia, quæ ibidem fuerint celebrata, & ſpecialiter excõicatos uel interdictos, aut prohibuerit excõicatos uel interdictos, ne moniti exeant, aut ipſi excõicati uel interdicti admoniti a pſbyteris exi

re contempſerit, excommunicati ſunt de ſententia excommunicationis. c.grauis in clem.

12 Papali excommunicatione excommunicatus eſt quicunque ad partes Saracenorum, Turcarum, & aliorum Chriſti nominis inimicorum conduxerit ſeu miſerit, ferrum, arma, aut lignamina, ad galeas fabricandas, uel alia ad pugnam neceſſaria, cũ quibus infideles poſsẽt impugnare Chriſtianos & quicũque eis galeas & naues uendiderit, aut naues pirratarum eorum gubernauerit, uel prędictis Sarracenis, conſilium, auxilium, uel fauorem dederit in retentione terrre ſanctæ, aut de portis ſuis uel locis prædictas res portare permiſerit, uel iuerit, de quibus habetur extra de Iudeis, ita quorumdam. &. c. ad liberandam ꝙ ſit Papalis caſus patet in extrauaganti Bonifacij. 8. quæ incipit contra illos. Item in extauagantis Clementis. 5. quæ incipit. multa mentis.

13 Tres alij caſus adduntur, de quibus tamẽ aliqui ponunt in dubium quod pertineant ad Papã, ſed tutius eſt dicere, quod abſolutio in iſtis ab ipſo ſit petenda, per ordinem igitur ponantur. Si quis corpus alicuius fidelis defuncti inciderit aut coxerit, cauſa portandi ipſum ad aliquem locum uel huiuſmodi cauſa excommunicatus eſt, ut ſupra in extrauagãti Bonifacij. 8. quę incipit, deteſtande, licet quidam dicant eam in Romana curia non obſeruari.

14 Si quis gloſauerit aut ſcripſerit ſupra declarationem Regulę fratrum minorum factam per Nicolaum.iij.aliter quam determinatum ſit in c. exit de uerbo.ſignificatio.libr. vj.aut ſi quis certa ſcientia uiciauerit,legerit, docuerit, uel ſcripſerit contra Regulam & declarationem illã,excommunicatus eſt eodem. c. ſed quidam dicunt huius abſolutionem quę erat Papę reſeruata per quandam extrauagantem reuocatam eſſe.

15 Si tempore interdicti fratres minores receperint ad officium illos, uel illas de tertio ordine, incurrunt ipſi fratres in excommunicationẽ Papalem,ſed tamen poſſunt abſolui ab Epiſcopis qui in hoc Apoſtolica authoritate utent̃ in clem. cum ex eo de ſen.excom.

16 Sunt multi alij caſus,qui ex proceſſu & cõſuetudine curię reducti ſunt ad Papam, ſicut patet in denũciatione, quæ fit in curia in die Cęne Domini, & aliqui in regulis cãcelarię notantur. Item in quibuſdam extrauagãtibus heretici, patareni, excõmunicati ſunt de quibus infra dicet. Item fautores & defenſores & receptores eorum. Item ſciſmatici,& præſertim,ſi quis ſe pro Papa geſſerit,quando non eſt uerus Papa,ut pote non electus a duabus partibus Cardinalium. Item ſimoniaci omnes:hoc eſt qui recipiunt uel dant per ſimoniam ordines,officia, uel beneficia, aut dignitates eccleſiaſticas, manifeſte uel occulte,

cuiuſcunque, ſtatus, conditionis, uel dignitatis exiſtant, in curia uel extra eam. Item omnes mediatores hoc in extrauaganti Martini quinti quæ incipit, multe, & in alia damnabile. Item Eugenij quarti cum deteſtabile. Et nota quod ſi abſolutio à caſibus Papalibus committatur, alicui perſone in qnacunque forma fuerit, non poteſt quis per illam abſolui ab hac excommunicatione, ſimonie, niſi de hoc fiat ſpecialis mentio in conceſsione, ut patet in extrauaganti damnabile. Item Pirrate marini. Item inſultantes uel impedientes eos qui deferunt uictualia ad curiam Romanam, aut dantes talibus impedientibus defenſionem uel auxilium. Item qui depredantur aut capiunt peregrinos ad curiam Romanam cauſa peregrinationis uel deuotionis euntes, in ea ſtantes, uel ab ea ad propria redeuntes, & qui prædictis latronibus fauorem uel auxilium dederint. Item quicunque per inimicitiam detinent, aut occupant, aut deuaſtant terras, uel loca pertinentia ad eccleſiam Romanam, ſiue per ſe, ſiue per alios, ſi ſimiliter hoc manifeſte, uel occulte fecerint. Et quicunque tales defenſauerint, ſeu illis ad hæc facienda auxilium, conſilium, uel fauorem dederint.

2 Sunt præterea multi alij caſus per Papam reſeruati, qui continentur in dicto proceſſu, qui in

die cene Domini publicari ſolet,ut ſunt ſequentes impiam hereſim,Martini Lutheri, & illorum libros tenentes,ac omnes fautores receptatores, & defenſores eorundem . Qui caſus hic ſigillatim nō ponuntur,quia Papa,modo plures modo pauciores reſeruat , & ideo bulla huiuſmodi reſeruationis eſt diligenter inſpicienda.

Inter alios , tamen , hic unus eſt per omnes modernos Pontifices poſitus in Bulla prædicta contra illos ſacerdotes , ſiue ſeculares ſint , ſiue regulares , qui abſoluunt aliquem a caſibus prædictis,ſiue aliquo ipſorum quia excommunicantur in dicta Bulla excommunicatione Papali , & illis interdicitus officium prædicationis , adminiſtrationis ſacramentorum, & audiendi confeſſiones , & nihilominus quicquid egerint , abſoluendo uel alias,nullius eſt roboris uel momenti.

Caſus excommunicationum Epiſcopis reſeruatarum.

1 Circa caſus prædictos unusquiſq; excommunicationē maiorē incidit,quę ſeparat nō ſolū a ſacramentis, ſed etiā ab ingreſſu eccleſie,& participatione fidelium. In multis caſibus, in quibus tñ per Epiſcopum pōt abſolui primo.

Qui cadit in hereſim damnatam , ſeu nouam hereſim confingit,ſeu etiam eſt receptor uel fau-

tor hereticorum.iiij.q.in c.primo. & ij. de hereti.ad abolendam.&.c.excommunicamus.&.c.ſicut ait.de hoc tamen dictum eſt ſupra, quod ad Papam reductū eſt ſpecialiter de hereſibus, quas in proceſſu nominauit.Et nota quod ſpecialiter eſt hereticus, ſi quis aſſerendo dicat eccleſiam Romanam, non eſſe caput eccleſiarum, nec ei tanquam capiti obediendum.diſtin.xix.nulli fas, & additur in clemen.de uſuris.c.ex graui, quod hereticus eſt ſi quis aſſerendo dicat,dare ad uſuram non eſſe peccatum.

2 Quicunq; Rectores ciuitatum facientes exactiones indebitas in clericos,uel eccleſias, & admoniti non deſiſtāt, de immunitate eccleſiarum non minus,&.c.aduerſus,& in clemen.c.quoniā de immunitate eccleſiarum,nunc eſt caſus Papalis ut dictum eſt.

3 Quicunque non electus a duabus partibus Cardinalium geſſerit ſe pro Papa, & quicunque receperit eum pro Papa de electionib.c.licet.ſed hoc etiam dictum eſt quando redactum eſt ad Papam.

4 Cum quis magiſter uel ſcolaris in ciuitate Bononie tractat de conductione hoſpicij non requiſitis inquilinis,niſi tempus cōductionis fuerit elapſum extra de locato.c.ex reſcripto.

5 Quicunque Monachi, Canonici, rectores, Archidiaconi, Decani, Præpoſiti, Plebani

Cantores, & alii clerici perſonatus habentes, aut quicunque Sacerdotes Parrochiales, ſub ſe capellas perpetuas habentes audiuerint, leges, uel phiſicam, ſi infra duorum menſium non ceſſant, ne clerici uel monaci capitulo non magnopere & capitulo ſuper ſpecula, de hoc uide eod. tit.c.ſtatutum.lib.vj.

6 Omnes qui fecerint Statuta contra libertatem eccleſie, ſcriptores eorum,ac poteſtates,cōſules,rectores, & conſiliarij locorum, ubi talia ſtatuta edita fuerint uel ſeruata,nec non qui ſeruari ea fecerint, & illi qui ſecundum ea iudicare præſumpſerint, uel iudicata in publicam formā redegerint, de ſententia excommunicatiōis nouerit.

7 Quicunque grauant aliquos, quia eum pro quo rogabant noluerunt eligere extra de electi. iciant cuncti.lib.vj.

8 Quicunque de nouo uſurpantes cuſtodiam uacantium eccleſiarum, ſeu in aliis piis locis occupant bona ipſarum, & clerici, & alie perſone eorundem locorum, qui hæc fieri procurant,extra de elec.generali.lib.vj.

9 Quicunque elegerint aliquem ad regimen urbis Romæ, non ſeruata forma quæ ponitur in capitulo fundamenta de electionib. libr.ſexto.& ſimiliter quicunque conſenſerint tali electioni, aut dederint conſilium,auxilium, uel fauorem,

eodem.cap.§.quod ſi ſecus, ſed etiam iſtæ caſus Papalis eſt.

10 Qui uocantur ad dirigendas moniales in electionibus, niſi abſtineant ab his, per quę poſſet in eis diſcordia oriri uel nutriri de elec.lib.vj. c.indemnitatibus.§.poſtremo.

11 Qui in effectu procurant, quod conſeruatores dati a ſede Apoſtolica intromittāt ſe de his quæ non licet, aut de aliis quàm de manifeſtis iniuriis de offi.deleg.hac conſtitutione. nec debent abſolui, niſi prius in expenſis ſatisfaciant illi, quem taliter grauauerunt.

12 Quicunque per uim uel immiſsionem metus extorſerit abſolutionem ab aliqua ſentētia excommunicationis, uel interdicti, uel reuocationem illius ſententie, nouam excommunicationē incurrit de his quæ ui metusve cam. cap. abſolutionis. lib.vj.

13 Quicunque prælatos, uel capitula, uel alias perſonas eccleſiaſticas compellunt ad ſubmittendum laicis, uel alienandum bona immobilia, uel iura eccleſiaſtica, & ſimiliter laici, qui uſurpant ſibi huiuſmodi, niſi admoniti deſiſtant de rebus eccleſ. non alie.capitulo hoc conſultiſsimo. libro.ſexto.

14 Quicunque à clericis, uel perſonis eccleſiaſticis per ſe, uel per alium, ſuo nomine, uel alieno, pro perſonis, uel rebus, quas non cauſa nego-

ciationis deferunt uel deferri faciunt, exigunt aliquod pedagium, uel guidagium, nam ſi fuerit ſingularis perſona excommunicata eſt ipſo facto, ſi eſt uniuerſitas uel ciuitas ſubditur interdicto, nec poteſt abſolui, niſi reſtituerit, extra de cenſibus, quanquam. lib. vj.

15 Quicunque impediuerit coram iudicibus eccleſiaſticis in cauſis, quæ ad eos pertinent ne illi, qui conqueruntur, poſsint iuſtitiam obtinere, uel quicunqu compellit impetratores literarum, uel alios recurrentes ad iudicium eccleſiaſticum in cauſis, quæ de iure, uel antiqua cõſuetudine, ad ipſum iudicium pertinẽt compellit ad deſiſtendum, uel litigandum de eis in foro ſeculari, grauando propinquos eorum uel capiẽdo, res uel eccleſias ipſorum, uel quocunque alio modo. Item qui ad prædicta dederint conſilium, auxilium, uel fauorem ſunt excõmunicati. de immunita. eccle. quanquam. lib. vj.

16 Quicunq; concedũt repreſalias contra perſonas eccleſiaſticas ſpecialiter ſiue generaliter, de iniuriis, & ſi. lib. vj.

17 Quicunq; temporales Domini, uel rectores qui mandant, ſiue interdicunt ſuis ſubditis ne pſonis eccleſiaſticis quicquam uendant, uel ab eis emãt, uel bladũ molant, aut panẽ coquant, aut alia huiuſcemodi obſequia faciant ſunt ipſo facto excõmunicati, eos qui de immu. eccl. lib. vj.

18 Quicun-

18 Quicunque Religioſus habitum ſue religionis dimiſerit ubicunque . uel ſine licentia ſui prælati cum conſilio maioris partis conuentus ſibi tradita ad queuis ſtudia literarum acceſſerit & doctore , uel magiſtri, qui ſcienter illos religioſos docuerint leges uel phiſicam , qui habitum dimiſerit , extra , ne clerici capitulo ut periculoſa.libr. ſexto.

19 Quicunque chriſtianum aliquem per aſſaſſinos interfeci fecerit , uel mandauerit etiam ſi mors non fuerit ſubſecuta , & qui aſſaſsinos receptauerint defenderint , ſeu occultauerint excommunicati ſunt de homicidio pro humani . libro.ſexto.

20 Quicunque clerici manifeſtis uſurariis ad exercendum uſuram , domos locant uel alio titulo concedunt de uſuris , uſurarum uoraginem. libro.ſexto.

21 Quicunque ſepeliunt corpora mortuorum tempore interdicti , & in caſibus non conceſsis a iure , uel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos , uel uſurarios manifeſtos, ſcienter ſepeliunt , excommunicati ſunt , a qua excommunicatione non debent abſolui , niſi prius ad arbitrium dioceſani ſatisfecerint eis , quibus per præmiſſa fuerit irrogata iniuria de ſepul. c. eos in clementinis.

22 Quicũq; decimas eccleſiis debitas ſibi ap-

propriant, uel uſurpant, ſiue, qui non permittunt ſolui eccleſiis decimas de animalibus familiarum ſuarum, uel paſtorum ſuorum, uel aliorũ immiſcētium ſua animalia gregibus eorũ, uel de animalibus, quæ in fraudem eccleſie emũt, & empta uenditoribus tradunt uel aliis ab ipſis tenenda ſeu qui de terris, quas tradunt aliis excolendas decimas ſolui eccleſiis non permiſerint, niſi requiſiti a præmiſsis deſiſterit infra menſem, aut ſi de hiis, quæ uſurpauerint, & non ſatisfecerint contra præmiſſa eccleſiis dannificatis infra duos menſes ſunt ſuſpenſi ab adminiſtrationibus & beneficiis ſuis, & ſi non habent beneficia excõmunicationem incurrunt ipſo facto, de decimis. religioſi in clem.

23 Quicũq; monachi, aut canonici regulares nõ habẽtes adminiſtrationẽ ſe cõferũt ad curias principũ, ſine licentia ſuorũ prelatorũ, ut dãnum aliquod inferãt ſuis prælatis aut monaſteriis ſuis de ſtatu monachorũ, ne in agro in cle. aut ſine licentia infra ſepta monaſterij arma tenent.

24 Quicũq; impediũt uiſitatiões monialiũ uel canonicarũ, niſi admõiti deſiſtãt eo. ti. attẽdẽtes.

25 Quicũq; ſciẽter in gradibus cõſanguinitatis, uel affinitatis a iure prohibitis, uel Moniales aut cum Monialibus, uel Religioſi, uel Clerici in ſacris contrahentes matrimonium ſunt excommunicati de conſanguinitate, & affinitate. cle. j.

26 Quicunque inquiſitores hereticorum ſub prætextu inquiſitionis quocunque modo illicito pecuniam extorquet ſcienter bona eccleſiarum ob delictum clericorum fiſco eccleſie applicantes excommunicati ſunt,nec poſſunt abſolui , niſi in mortis articulo , donec illis quibus extorſerunt plene ſatisfecerint,nullis pactis priuilegiis , uel remiſsionibus ſuper hoc ualituris de hereticis , nolentes in clementinis.

27 Quicunq; Poteſtates,Capitanei , Rectores, conſules , iudices , Conſiliarij,uel alij officiales, ſtatuta fecerint,ſcripſerint,uel dictauerint ꝑ quę quis cõpellatur ſoluere uſuras,uel ſolutas nõ repetere, & qui ſecũdum eã iudicauerint,& qui ſupra hoc habent poteſtatẽ,niſi ſtatuta ipſa deleuerint,aut ea obſeruare prȩſumpſerint,de uſuris,ex, graui in clemen.

28 Quicunque Religioſi mendicantes domos ad habitandum uel loca de nouo receperint, uel recepta immutauerint , ſiue alienauerint de pœnis cupientes in clemen .

29 Quicunque religioſi dixerint uerba aliqua ad retrahendum audiẽtes a ſolutione decimarũ, etiam & ſi confitentibus ſibi non faciunt conſcientiã, & ſi iterum prædicant ſunt excõmunicati cle.cupientes de pe.deffuſius de his uide Petrum de Pallude.in iiij.ſententiarũ,& per ſummiſtas in uerbo excommunicatio.

AVGVSTINVS DE DIGNITATE Sacerdotum.

O Veneranda Sacerdotum dignitas in quorũ manibus Dei filius, uelut in utero uirginis incarnatur. O felices Sacerdotes, ſi Sacerdotaliter uixeritis. O celeſte miſterium, ꝙ per uos pater & filius & ſpiritus ſanctus, tã mirabiliter operãt ſup tã ineffabili miniſterio ueſtro, ꝙ uno eodemq; momẽto, idẽ Deus qui prę ſidet in cœlo, in manibus ueſtris eſt in ſacrificio. Cœlum miratur, horreſcit infernus, Contremiſcit diabolus, reuerẽt quã plurimũ angelica celſitudo. Quid retribuam Domino (ut taceam de cęteris, quæ tribuit mihi) pro tam ſingulari dono ſacerdotij, mihi impenſo, quod eſt datum optimum, & donum perfectum? Verbi gratia. Ille qui creauit me ſine me, creatur mediante me. Et ille, qui ex nihilo cuncta creauit ſine me (ſi fas eſt dicere) dicere dedit mihi creare ſe.

O venerabilium ſanctitudo manuum. O felix exercitium, ubi tractat Chriſtum ſacerdos Dei filiũ, cuius dilitie ſunt eſſe cum filiis hominum. O Sacerdotes attendite, maior eſt dignitas uobis collata, quã angelis, qui adorant, quod uos conficitis, nec ipſi conficere poſſunt. O altitudo ſapientie Dei. O ineffabilis clementia Salua-

toris. Quod datum non eſt angelis, conceſſum eſt homini. Sacerdos hoc ſacramentum ineffabile conficit, angelus conficienti ſibi quaſi famulus aſiſtit. O quam uenerabile, quam glorioſum, quam inſigne fuit apud antiquos nomen ſacerdotii, ſed hodie, quid abiectius eo, quid uilius? O ſacerdotes ſi anima cuiuſlibet iuſti ſedes Dei ſit, multo magis ſedes, & templum Dei eſſe debetis mundum, & immaculatum. Si ſepulchrum eius glorioſum eſt, in quo corpus iacuit exanime, glorioſa, & digniora eſſe debent corpora ueſtra quæ a morte ſuſcitatus, quotidie dignatur inhabitare. Si beatus eſt uenter, qui nouem menſibus Chriſtum portauit, ita (& ſi non tantum) tamen beata debent eſſe corda ueſtra, in quibus quotidie eligit ſibi hoſpitium filius Dei. Si beata ſunt ubera, quę paruulus ſuxit, ita debet eſſe os beatum, quod carnem eius ſumit, & ſanguinem ſugit. Carnes ergo ueſtras, cum timore eius configere, & uobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ uocat de cœlo filium Dei, contra Dominum loquatur. Et ne manus, quæ intinguntur ſanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccati.

Eruditio Sacerdotalis dignitatis, neceſſaria omnibus patribus Sacerdotibus.

O QVAM Magnum & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt Do-

minum maieſtatis uerbis ſacris, labiis benedi-
cere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & ceteris miniſtrare. O quam munde debent eſſe manus ille quam purum os, quam ſanctum corpus, quam immaculatum cor Sacerdotis ad quem toties ingreditur autor puritatis. Ex ore Sacerdotis nihil, niſi ſanctum, niſi honeſtum, & utile procedere debet uerbum, qui tam ſæpe Chriſti accipit ſacramentum, oculi eius ſimplices, & pudici, qui Chriſti corpus ſolent intueri, manus pure, & in cœlum eleuate, quæ creatorem cœli, & terræ ſolent contrectare. Sacerdotibus prȩcipue in lege dicitur. Sancti eſtote quoniam ego Sanctus ſum Dominus Deus Veſter. Attende igitur, & uide cuius miniſterium tibi traditum eſt per impoſitionem manus Epiſcopi. Ecce Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus, uide nunc ut fideliter & deuote in ſuo tempore Deo ſacrificiũ offeras, & te ipſum irreprehenſibilem exibeas, non alleuiaſti onus tuum, ſed arctiori iam alligatus es uinculo diſcipline, & ad maiorem teneris perfectionem ſanctitatis. Sacerdos omnibus uirtutibus debet eſſe ornatus, & aliis bonȩ uitæ exemplum præbere. Eius conuerſatio non cum popularibus, & cõmunibus hominum uiis. Sed cum Angelis in cœlo, aut cum perfectis uiris in terra. Sacerdos ſacris ueſtibus indutus Chriſti uices gerit, ut deum pro ſe & pro

omni populo ſuppliciter,& humiliter roget. Habet nāq; ante ſe & retro Dominice Crucis ſignū ad memorādum iugiter Chriſti Paſsionem. Ante ſe Crucem in caſula portat, ut Chriſti ueſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi frequenter ſtudeat. Poſt ſe Cruce ſignatus eſt, ut aduerſa quælibet illata ab aliis ęquanimiter pro Deo toleret. Ante ſe Crucē gerit, ut propria peccata lugeat, poſt ſe, ut aliorum etiam commiſſa per compaſſionē defleat, & ſe mediū inter Deum, & peccatorem cōſtitutū eſſe ſciat, nec ab oratione, nec ab oblatione ſancta torpeſcat donec gratiam, & miſericordiā impetrare mereat. Quando Sacerdos deuote celebrat. Deū honorat, Angelos lętificat, Eccleſiam ædificat, Viuos adiuuat, Defunctis requiem præſtat, & ſeſe omnium bonorum participem efficit. Oratio. Oremus.

ADiuuet nos gratia tua omnipotēs Deus, ut qui officium Sacerdotale ſuſcepimus, digne ac deuote tibi in omni puritate, & in conſcientia bona famulari ualeamus. Et ſi nō poſſumus in tanta innocentia uite conuerſari, ut debemus, concede nobis tā digne flere mala, quę geſsimus, ut in ſpiritu humilitatis, ac bone uoluntatis propoſito, tibi feruentius, de cętero deſeruire ualeamus, per Chriſtum Dominū noſtrum. Amen.

SPECVLVM SACERDOTVM.

VIri uenerabiles Sacerdotes Dei,
Præcones altiſsimi lucernæ diei,
Caritatis radio fulgentes, & ſpei,
Auribus percipite uerba oris mei.
Vos in ſanctuario Deo deſeruitis,
Vos uocauit palmites Chriſtus uera uitis,
Cauete ne ſteriles, aut inanes ſitis,
Si cum uero ſtipite uiuere uelitis.
Vos eſtis Catholicæ legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ouium paſtores,
Muri domus Iſrael, morum correctores,
Iudices Eccleſiæ, gentium doctores.
Si cadat protectio legis, lex labetur,
Si ſal euanuerit, in quo ſalietur,
Niſi lux appareat uia neſcitur,
Nec ſi paſtor uigilet, ouile frangetur.
Vos cœpiſtis uineam Dei procurare:
Quam doctrinæ riuulis debetis rigare:
Spinas, atq; tribulos procul extirpare:
Vt radices fidei poſsint germinare.
Vos eſtis in area boues triturantes,
Prudenter à palea granum ſeparantes,
Vos habent pro ſpeculo legem ignorantes,
Laici, qui fragilus ſunt & inconſtantes.

Quicquid uident laici uobis diſplicere,
Dicunt proculdubio ſibi non licere,
Quicquid uos in opere uident adimplere,
Credunt eſſe licitum,& culpa carere.
Cum paſtores ouium ſitis conſtituti,
Non eſtote deſides, ſicut canes muti,
Vobis non deficient latratus acuti, a
Lupus rapax inuidet ouium ſaluti.
Grex fidelis triplici cibo ſuſtinetur
Corpore dominico,quo ſalus augetur,
Sermonis compendio,quod diſcrete detur,
Mundano cibario,ne periclitetur.
Ouibus tenemini ueſtris prædicare,
Sed quid,quibus,qualiter,ubi,quando,quare,
Debetis ſolicite rem conſiderare,
Nequis in officio dicat uos errare.
Spectat ad officium ueſtræ dignitatis
Gratiæ petentibus dona dare gratis,
Sed ſi unquam fidei munera uendatis,
Incurſoris Giezi lepram uos ſciatis. e
Gratis Euchariſtiam plebi miniſtrate:
Gratis confitemini,gratis baptizate
Secundum Apoſtolum,cunctis gratis date:
Solum id,quod fuerit ueſtrum conſeruate.
Veſtra conuerſatio ſit religioſa:
Munda conſcientia,uita uirtuoſa:
Regularis habitus,menſq; gratioſa:
Nulla uos coinquinet labes criminoſa.

Nullus faſtus deprimat ueſtre ſignum mentis,
Grauis in intuitu,habitus ſit teſtis;
Nihil uos illaqueet curis inhoneſtis,
Quibus claues tradite ſunt regni cœleſtis.
Eſtote breuiloqui,ne uos ad reatum
Pertrahat loquacitas,nutrix uanitatum:
Verbum,quod proponitis, ſit abbreuiatum,
Nam in multiloquio non deeſt peccatum.
Eſtote beniuoli,ſobrij prudentes:
Iuſti,caſti,ſimplices,pij,patientes,
Hoſpitales,humiles,ſubditos docentes,
Conſolantes miſeros,prauos,corrigentes.
Vtinam ſic gerere curam paſtoralem
Poſsitis,& ducere uitam ſpiritalem,
Vt cum exueritis clamydem carnalem,
Induat uos Dominus ſtolam æternalem.
Qui ſedet in ſolio ſummæ maieſtatis,
Vos purget a uitio,mundet a peccatis.
Vobis ſit auxilio ueſtræ pietatis,
Vt Abrahæ in gremio tandem ſedeatis.

Amen.

Antiphona. In uiam pacis.

Canticum Zachariæ.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et tu puer propheta altiſsimi uocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare uias eius.

Ad dandam ſciētiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum.

Per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſęcula ſæculorum. Amen. Aña. In uiam pacis & proſperitatis, dirigat nos omnipotens & miſericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur nobiſcum in uia, ut cum pace & ſalute, ac gaudio reuertamur ad propria.
Kyrieeleiſon, Chriſteeleiſon, Kyrieeleiſon.
Pater noſter. Secreto.
Ver. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſ. Sed libera nos a malo.
Ver. Saluos fac ſeruos tuos Domine.
Reſ. Deus noſter ſperantes in te.
Ver. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.
Reſ. Et de ſion tuere nos.
Ver. Eſto nobis Domine turris fortitudinis,
Reſ. A facie inimici.
Ver. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℞. Et filius iniquitatis nō apponat nocere nobis.
Ver. Benedictus Dominus die quotidie.
Reſ. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum.
Ver. Vias tuas demonſtra nobis Domine.
Reſ. Et ſemitas tuas edoce nos.
Ver. Vtinam dirigantur viæ noſtræ.
Reſ. Ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.
Ver. Erunt praua in directa.
Reſ. Et aſpera in uias planas.

Ver. Angelis ſuis Deus mandauit de te.
Reſ. Vt cuſtodiant te in omnibus uiis tuis.
Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum.
Reſ. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Oratio.

DEus, qui filios Iſrael per maris medium, ſicco ueſtigio, ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te, ſtella duce pandiſti, tribue nobis quæſumus, iter proſperum, tempusq; tranquillum, ut Angelo tuo ſancto comite, ad eum, quo pergimus locum ac demum ad eterne ſalutis portum peruenire feliciter ualeamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritusſanti Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſ. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus qui Abraham puerum tuũ de Vr Caldæorum eductum per omnes ſuæ peregrinationis uias illeſum, cuſtodiſti, quæſumus, ut nos famulos tuos cuſtodire digneris.

Item alia Oratio.

ESto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in uia ſolatium, in æſtu umbraculum, & in pluuia & frigore tegumentum, & laſsitudine uehiculum, in aduerſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce quo tẽ-

dimus, proſpere perueniamus,& demum incolumes ad propria redeamus.

Item alia oratio.

ADeſto quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & uiam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes uiæ, & uitæ huius uarietates tuo ſemper protegamur auxilio.

Item alia oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua per uiam ſalutis incedat, & Beati Ioannis præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum quem prædixit ſecura perueniat. Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, Qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſ. Amen.

Tum dicit Prælatus.

Ver. Procedamus cum pace.
Reſ. In nomine Domini. Amen.